ECCLESIASTICÆ VITÆ
ENCHIRIDION

AB ALOISIO RICCI

Sacrosanctae Patriarchalis Basilicae Liberianae
Canonico

AC

PONTIFICII SEMINARII PII

PIETATIS MAGISTRO

EXARATUM

AD USUM

EJUSDEM SEMINARII

URBEVETERI
PRELIS SPERAINDEO POMPEI
1855.

Inebriabo animam Sacerdotum pinguedine, et populus meus bonis meis adimplebitur. Jerem. 31. 14.

DILECTISSIMIS

PONTIFICII SEMINARII PII ALUMNIS

Cum adolescentium ætas, nisi recte instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas, nisi a teneris annis ad pietatem, et religionem informetur; et cum Seminariorum fundatio eo tendat, ut Clerici ad pietatem, religionem, Ecclesiasticam disciplinam, bonos mores literasque erudiantur; nihil hac fundatione utilius ad Cleri disciplinam in singulis Ecclesiis propagandam, animarumque salutem procurandam. Vos itaque, Juvenes dilectissimi, summa SSmi Pontificis PII IX. providentia, egressi estis de terra vestra, et de cognatione vestra, atque in terram fluentem lac, et mel ingressi, quasi modo infantes geniti, hoc lac sine dolo concupiscite: huc enim haud dubio venistis, ut animam vestram sanctificetis, eamque doctrina, ac pietate ad Sacrum Ecclesiae Ministerium praeparetis. Quam bonum vobis erit, si jugum Domini portaveritis ab adole-

scentia vestra! Ibi dicitur vobis quid vos oporteat facere, ut innocentiam vestram a vitiorum, et saeculi illecebris tutam praestetis, ad angelicam vitam animum vestrum dirigatis, ac pias inter exercitationes digni evadatis, qui quamvis adolescentes, eligamini a Domino, et super quos ponat ille Spiritum suum.

Hoc itaque opusculum, quod viri consilio summa pietate, ac doctrina praestantissimi, mihique charissimi typis mandavi, nulli alio quam vobis spirituali meae curae concreditis dicari mandavi, ut qui Clericali militiae jam nomen dedistis, quique de praesenti saeculo nequam erepti, et ex hominibus in haereditatem Domini assumpti, nec non jucundissima Ecclesiae spes, in hoc tanquam in splendidissimo speculo vos sedulo inspiciatis, eique conformemini, ac facilius agnoscere possitis, utrum quisque vestrum regulariter vivat, utrum proficiat an deficiat, utrum Deo placeat an displiceat. Sed cavete, ne sitis similes viro consideranti vultum nativitatis suae in speculo; consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit. Vos vero utpote viri in sortem Domini vocati, sic vos in hoc speculo respicite, ut fœda quæque corrigatis vel pulchra magis ornetis: non enim vos latet quod scriptum sit: non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. Qua propter scuto bonæ voluntatis armati, gustate, et videte hæc verba vitæ, ea conferentes in corde vestro, ut inde exardescente in meditatione vestra igne illo, quem Christus Dominus venit mittere in terram, possitis in omnibus perfecti stare, et in qua voca-

tione vocati estis, in ea permanere, et ut luceat lux vestra coram hominibus, eosque illuminet, atque sanctificet, quique videntes opera vestra bona glorificent Patrem, qui in cœlis est. Hoc igitur opus, Iuvenes in Christo dilectissimi, in simplicitate cordis vestri accipite, quod ego vobis in simplicitate cordis mei offero. Nemo autem sibi me propria tradidisse putet, nec tanquam mea suscipiat, ut cum S. Bernardo loquar: *Deus scientiarum Dominus, qui linguas infantium facit disertas, quique infirma mundi eligit, ut fortia quaeque confundat, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus; ipse Dominus Altissimus dedit vocem suam; semel locutus est, aperuit os asinae, et locuta est:* unde, suadentibus juxta cor Dei viris, non abscondam Sacramenta Dei, sed ponam in lucem scientiam illius: etenim Sacramentum Regis abscondere bonum est, opera autem Dei revelare, et confiteri honorificum est, ut sit nomen ejus benedictum, et glorificatum coram omnibus viventibus, et in saecula. Quamvis autem haec vobis charitatis, atque existimationis intuitu dirigam, absit ut praerogativam mihi bonitatis, ac scientiae vindicem, cum hisce de rebus caeteros moneam, sed potius cum haec ad vos loqui audeo, simul vobiscum, quae loquor, audiam. Quare ne sermo, quem locutus sum, ipse judicet me in novissimo die, et ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar, supplex exoro cum S. Gregorio, ut quisquis vestrum haec legerit, apud districtum Iudicem solatium mihi suae orationis impendat; et qui per me verba accipit, pro me lacrymas reddat, ut pecca torum

meorum veniam, expiationemque assecutus, cantem misericordias Domini in aeternum.

Dominus autem Jesus spirituum ponderator, et cordium scrutator, qui suaviter omnia disponens ad se semper vocavit quos voluit, quique a fine usque ad finem fortiter attingens, suscitat sibi Sacerdotes fideles, et Pastores juxta cor suum, quandoquidem ex legitima, veraque Clericorum vocatione pendeat Cleri populique sanctitas, et salus aeterna, ne permittat intrare in Sanctuarium suum, et in ovile ovium vocatos a carne, et sanguine, mercenarios, latrones, luposque rapaces, sed dignos tantummodo, et fideles ab eo missos, et electos, quique sic ab eo vocati, atque electi fiducialiter dicere possint: Domini est assumptio nostra, et Sancti Israel Regis nostri. Hoc Sanctae Ecclesiae, omniumque piorum est votum, cui faveat, et coelitus adspiret.

Vos itaque quandiu in Seminario versabimini, incipite quotidie exhibere vos idoneos et dignos Dei Ministros. In omnibus vel minimis statutis canonum regulis, et Moderatorum monitis adeo fideles sitis, ut horum usum jam radicatum habentes, et ab his nunquam deflectatis. Nulli sitis lapides offensionis; in omnibus vero jam vosipsos praebete exemplum bonorum operum. Contendite esse sancti, et vivere de Spiritu Christi, in cujus sortem vocati estis: bibite aquam de cisterna vestra, et fluenta putei vestri, ut postea deriventur fontes vestri foras, et in plateis aquas vestras dividatis. Estote in Seminario, sicut Apostoli in solitaria domo, perseverantes in oratione, et expectantes cum fiducia, totaque animi

quiete adventum Spiritus Sancti; hinc tandem exibitis sicut illi, ignem spirantes, divinoque amore quasi ebrii, facti ipsi diabolo terribiles. Haec ita fideliter peragentes gratum providentissimo Fundatori Pontifici Maximo PIO IX. animum ostendetis; sitque autem jucundissima Ejus memoria jugiter in cordibus vestris insculpta; sine intermissione fervidis votis postulantes a Deo Patre, et Jesu Christo Filio ejus, ut Ipsum sospitem diutissime bono servet Ecclesiae: magnificetque Eum Dominus in timore inimicorum, Illumque glorificet in dies in conspectu Regum: declinetque super Eum, quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam Gentium. Quies enim in Ipsius incolumitate, et salute sita est tranquillitas, et consolatio nostra: sint omnes Fideles circa Ipsum quasi rami palmarum in tabernaculis fiduciae: hostes Ejus deficiant, sicut deficit fumus, et nunquam audeant communem pacem deturbare, sed de die in diem laetior fiat Ecclesiae Sanctae securitas, et integra, incolumisque servetur, utque haec cum Eo Capite conjuncta in clarissimo Beatorum Spirituum coetu immarcescibili gloria, ac sempiterna felicitate perfruatur.

CAPUT I.

Quae sit vera Sacerdotis regula

PRAELOQUIUM

Non debet Sacerdos huic saeculo conformari, sed probare quae sit voluntas Dei bona, beneplacens, et perfecta, ut ipsam in omnibus faciens reportet promissionem. Fieri potest ut prava hominum exempla, nisi diligenter attenderit, fortiterque obstiterit, illum per spatiosam trahant viam, quae ducit ad perditionem. Adeo naturale est omnibus multitudinem sequi, adeo difficile est a societatibus segregari, ut vix fieri id possit nisi per victoriam quae vincit mundum, quae est fides nostra. Si sanctimoniae, ac justitiae praxis esset mos, et usus humanus quot ad salutis portum feliciter pervenirent; esset quidem nemo, qui non declinaret a malo, et non faceret bonum: sed cum omnis fere caro corruperit viam suam, idcirco magnum sequitur diluvium perversi moris, pravorumque usuum, quod omnes fere submergit. Mementote; non dixit nobis Dominus: videte quid faciant alii, et facite similiter, sed praecepit nobis: mandata mea servate: sequimini me: ego sum via, veritas, et vita. Omnes itaque nostrae regionis, ac temporis usus, moresque observemus; illos cum lege Domini conferamus, et si adversos eos esse viderimus, ab illis cautissime abstineamus, nobisque praecipuam juxta sanctissima Dei praecepta regulam praescribamus. Quisquis ergo in Sacerdotali constitutus dignitate velit secundum tam sublimem vocationem ambulare, ne dixerit: quid fit ab aliis? Quid faciunt caeteri? Sed dicat: quid jussit mihi Dominus? quid requiret a me? quid mihi praescribit Ecclesia? Ne dixerit: quomodo sacrosanctum Missae Sacrificium celebrant caeteri? quomodo psallunt? quomodo sacris inserviunt altaribus? quomodo peragunt Sacramenta? Sed dicat: quomodo Sacerdotem decet sanctissima tractare mysteria; laudes Omnipotentis canere, ministerium adeo tremendum adimple-

re? Ne dixerit: quomodo communiter fideles in sacro poenitentiae tribunali excipiuntur? quomodo de more verbum Dei praedicatur? Sed dicat: qui abusus tolerari possunt ad tempus? qui abusus debent sine mora funditus delere? Ne dixerit: quomodo se gerunt alii? quomodo tempus impendunt? quomodo reditus ecclesiasticos erogant? quomodo vestiuntur? qualem adhibent mensam? qualem societatem frequentant? quomodo oblectamentis indulgent? Sed dicat: quomodo me gerere debeo, ut sanctificer, aliosque sanctos efficiam? quomodo debeo laborare? quomodo bona Ecclesiae debeo impendere, ne timeam cum in Judicis aeterni conspectum prodibo ut stricte judicer? Multi revera fuerunt sancti Sacerdotes, quorum exempla attente observare debemus, et aemulanter sequi; facti enim sunt imitatores Christi, ut nos per ipsorum virtutes allecti, Christi quoque cultores, et imitatores fiamus. Illos igitur respiciamus: valde adjuvabunt infirmitatem nostram.

Dirige, quaeso Domine, gressus nostros in semitis tuis, ut non moveantur vestigia nostra: ne aliquando in latam viam declinemus, quam dixisti ducere in perditionem. Confirma quod operatus es in nobis: dignos nos effice ministros tuos; fac nos in sanctissimo Sacerdotii munere cum omni zelo tibi deservire. Da nobis aurum ignitum sancti ardoris, ut cum fervore tibi possimus ministrare. O Jesu! O cor divini amoris incendium! Mitte in cor nostrum unam illius ignis scintillam, qui in te exaestuat: suscita in nobis spiritum flammeum, et urentem: imprime nobis charitatem tuam, ut opus tuum digne perficiamus.

Quicumque hanc regulam secuti
Fuerint, pax super illos, et misericordia. (Ad Gal. 6.)

Tu autem scis, Domine, quia non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex te est: emitte ergo Spiritum tuum, et renovabis faciem terrae. Et vero, cum fides sine operibus mortua sit, rogamus te humillime, o summe Sacerdos, ut Sacerdotes tui hoc opus legentes intelligant; ut comedentes hoc volumen, servent ea, quae in eo scripta sunt; ac sic induentes justitiam, et digne ambulantes vocatione, qua vocati sunt, semetipsos salvos faciant, et omnes, qui eos audierint; et ut tandem, cum tu, Princeps Sacerdotum, et Pastorum, apparueris, omnes simul percipiant immarcescibilem gloriae coronam, et in saecula saeculorum laudent te.

CAPUT II.

Sublimis Sacerdotii Dignitas.

Ego dixi vobis Dii estis vos, et filii excelsi omnes; qui tetigerit vos tangit pupillam oculi mei. *(Zac. Proph.)*

Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta. *(S. Petr. ep. 1.)*

Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit. *(S. Luc. 10.)*

Non dicam vos servos, sed amicos, quia quaecumque audivi a Patre meo nota feci vobis. *(S. Joan. 15)*

Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, et scorpiones, et super omnem virtutem inimici: et nihil vobis nocebit. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur; gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in coelis. *(S. Luc. 10.)*

Dedit eis potestatem spirituum immundorum, ut ejicierent eos, et curarent omnem languorem, et omnem infirmitatem. *(S. Matth. 10.)*

Dei adjutores sumus. *(1. Cor. 2.)*

Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. *(1. Cor. 4.)*

Pro Christo legatione fungimur. *(2. Cor. 5.)*

Pro quo Christus missus est, pro hoc et ipsi *(Glos. in Cat. Jo. 17.)*

Principium missionis tam Christi quam Apostolorum est a Deo. *(Corn. a Lap. in Jo, 20.)*

Sacerdotes novae legis tenent locum septuaginta discipulorum Christi *(S. Th. 22. q. 184.)*

Christus est totius Sacerdotii origo *(idem 3. q. 50.)*

Dignitas Sacerdotalis prius cognoscatur a vobis ut deinde servetur a vobis. *(S. Ambr. l. de dign. Sacerd. c. 2.)*

Sacerdos post Deum terrenus Deus. *(S. Clem. Pap.)*

Sacerdotum ordo veluti quaedam facies Ecclesiae. *(Theodoret.)*

Qui Sacerdotem dixit, augustiorem, prorsusque divinum insinuat virum. *(S. Dion. Areop. de coelest. Hier. c. 1.)*

An ignoras quid sit Sacerdos? Angelus itaque Domini est. *(S. Jo. Chr. hom. in 1. ad Tit.)*

Coeleste tenet officium Sacerdos, Angelus Domini exercituum est, tanquam Angelus aut eligitur aut reprobatur. *(S. Bern.)*

Sacerdotium in terra quidem peragitur, sed in rerum coelestium classem referendum est. *(S. Jo. Chrys. l. 3. de Sac.)*

Sacerdos Dei verissime Angelus, idest Nuntius, dicitur, quia Dei, et hominum sequester est, ejusque ad populum nuntiat voluntatem *(S. Hier. in c. 2. Malac.)*

Intra Deum, et hominem constitutus est Sacerdos, citra Deum, sed ultra hominem: minor Deo, sed major homine. *(Innoc. P. III.)*

Sive Deus sive homo Vicarius Dei mandatum quodcumque tradiderit, pari profecto obsequendum est cura; pari reverentia deferendum. *(S. Bern. tr. de praec. et disp.)*

Sacerdotium ipsi quoque Angeli venerantur. *(S. Greg. Naz.)*

Sacerdotes Christi Vicarii sunt: qui honorat Sacerdotes Christi, Christum honorat. *(S. Jo. Chrys. hom. 17. in Mat.)*

In Ecclesiae ordine constituti in hoc positi sunt, ut Deum repraesentent, non solum secundum quod in se est, sed etiam secundum quod aliis influit. *(S. Th. q. 34. a. 1.)*

Deus non per Filium tantum suum, sed et per nos quoque, qui ipsius ministerii vicarii successimus exhortatur. *(S. Jo. Chr. hom. 3. in 2. ad Cor.)*

Inter divinam, et humanam naturam Sacerdotium velut medium interjectum est, ut illam colat, atque observet, hanc autem in melius commutet. *(S. Isid. Pel. l. 5. ep. 20.)*

Sacerdos idest sacra docens, sive sacer dux. *(S. Ant. l. de dign. Sacerd.)*

Sacerdos dicitur quasi sacrum dans: dat enim sacrum de Deo idest carnem, et sanguinem, sacrum pro Deo vivendi scilicet exemplum. *(Honor. l. I. c. 182. de Sac.)*

Nam cum Episcopi, et Sacerdotes tanquam Dei interpretes, et internuncii quidam sint, qui ejus nomine divinam legem, et vitae praecepta homines edocent, et ipsius Dei personam in terris gerunt; perspicuum est, eam esse illorum functionem, qua nulla major excogitari possit. *(Cat. Rom. de Sac. Ord.)*

Enumera honores, divitias, omnia denique mundi regna, omnium apex est Sacerdotium. Honor Sacerdotalis nullis poterit comparationibus adaequari. *(Auct. de dig. Sac. int. op. S. Ambr.)*

Quanto anima corpore pretiosior est, tanto est Sacerdotium regno excellentius. *(S. Jo. Chr.)*

Praetulit nos Deus regibus, et imperatoribus, praetulit ordinem nostrum omnibus ordinibus, Angelis, et Archangelis. Longe enim excellentius officium nostrum, et admirabile. *(S. Bern.)*

Humana est dignitas regis, divina Sacerdotis. Decus, et potentia regem morientem relinquunt; Sacerdotium in aeternum manet. Imperat rex hominibus, Deo ipsi Sacerdos. Nihil potest rex, nisi in terra; potest Sacerdos etiam in ipso coelo. Coelum enim vox ejus penetrat, inde gratias deducit, ibi Deum placat, et flectit, ibi jus super homines dicit: ejus quinimo sententia Dei sententiam praecedit: quod remiserit, vel retinuerit in terra, remissum vel retentum erit in coelo. *(Quid. Auct.)*

Per Sacerdotes Christum induimus, per ipsos Filio Dei conjungimur, per ipsos membra beati ipsius capitis efficimur. Quomodo ergo nobis isti non sunt reverendi magis, quam reges aut judices, sed etiam nobis magis erunt honorabiles, quam parentes? *(S. Jo. Chr. l. 3. de Sac.)*

Omnem potestatem Pater dedit Filio: caeterum video eandem omnifariam potestatem a Deo Filio Sacerdotibus traditam. *(Idem l. 2.)*

Quemadmodum Salvator noster a Patre, Apostoli autem, et Discipuli in universum mundum a Christo Domino missi sunt, ita quotidie Sacerdotes eadem, qua illi potestate praediti, ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in aedificationem Corporis Christi mittuntur. *(Cat. Rom. de Sac. Ord.)*

Sacerdotium novae legis simile est Sacerdotio Christi in potestate offerendi, et in potestate conferendi veram sanctitatem, et remissionem peccatorum. *(Suar. dist. 46. sect. 3.)*

Quamvis autem omni tempore summam dignitatem obtinuerint, tamen novi Testamenti Sacerdotes caeteris omnibus honore antecellunt. Potestas enim tum Corpus, et Sanguinem Domini nostri conficiendi, et offerendi, tum peccata remittendi, quae illis collata est, humanam quoque rationem, atque intelligentiam superat, nedum ei aliquid par, et simile in terris inveniri queat. *(Cat. Rom. de Sac. Ord.)*

Nescio si potest homo a Deo in hac vita majus accipe-

re, idest quam, potestatem dimittendi peccata. *(Ugo. S. Vict.)*

Sacerdotis thronus in coelis collocatus de coelestibus negotiis pronuntiandi habet auctoritatem. *(S. Jo. Chr. hom. 25. in Jo. c. 6.)*

O veneranda Sacerdotum dignitas, in quorum manibus, veluti in utero Virginis Dei Filius incarnatur. *(S. Augustinus)*

Excusa me apud te, Virgo gloriosa, Sacerdotium Filius ipse tuus praetulit super te. *(S. Bern. t. 1. ser. 20. a. 1. c. 7.)*

Absit, ut quidquam sinistrum loquar de iis, qui Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos nos etiam Christiani sumus, qui claves regni Coelorum habentes ante diem judicii judicant. *(S. Hier. ep. ad. Nepot.)*

Sicut fulgentissimum aurum licet luto contaminatum non percipit detrimentum, neque speciosissima margarita ex contactu quarumdam immundarum specierum, ad eundem modum nec Sacerdotium ab ullo sordidum redditur, quantumvis etiam indignus sit qui illud suscipit. *(S. Ephr. de Sac.)*

Videte, Fratres, vocationem vestram, eminentiam, et dignitatem Ordinis vestri. *(Petr. Bles.)*

Ecce unxit te Dominus super haereditatem suam in principem quasi dicat haereditatem suam tuam fecit. *(S. Greg. Pap. I. Reg. 1.)*

Quid potest eo esse felicius, cui efficitur suus Conditor census; et haereditas ejus dignatur esse ipsa Divinitas? *(S. Prosp. l. 2. de vit. act. c. 16.)*

Christus Sacerdotum decus, et ornamentum, ac pretiosa Clericorum possessio. *(Conc. Burdeg.)*

O altitudo Clericalis dignitatis! quae toti mundo renuntiat ut solum Deum possideat, et vicissim a solo Deo possidetur. *(S. Hier. ep. ad Nep.)*

Miraculum stupendum, magna et multa, imo immensa, et infinita Sacerdotis dignitas! *(S. Ephr. Syr.)*

O quam magnam in se continet dignitatem formidabile, et admirabile Sacerdotium! *(Idem.)*

Agnosce dignitatem tuam: memento cujus capitis, et cujus corporis sis membrum. *(S. Leo Pap. ser. 1.)*

Nihil est in hoc saeculo excellentius Sacerdotibus, nihil sublimius: quod sumus professione actione potius, quam nomine demonstremus, ut nomen congruat actioni, actio

respondeat nomini, ne sit nomen inane, et crimen immane, ne sit homo sublimis, et vita deformis, ne sit deifica possessio, et illicita actio. *(S. Ambr. de dign. Sac. c. 2.)*

Qui mihi honoris est auctor ipse mihi fiet administrationis adjutor; et ne sub magnitudine gratiae succumbat infirmus, dabit virtutem, qui contulit dignitatem. *(S. Leo P. Mag. 1. Serm. in die ass.)*

—

Fac, Domine, ut meam dignitatem agnoscam, et divinae tuae consors factus naturae, ne permittas me in pristinam vilitatem degeneri conversatione redire. Quis sum ego Domine, ut memor fueris mei, et tanta mihi contuleris? Ecce ego cum sim pulvis, et cinis, factus sum homo Dei, minister tuus, secundum dispensationem gratiae tuae. Pater amantissime, quantum tibi amorem debeo pro amore isto quo me sic prior dilexisti, sic elegisti, sic consignasti! Quantum humiliare me debeo pro tanta dignatione qua me egenum de pulvere suscitasti, ut solio gloriae tuae assisterem, vices tuas gererem, loco tui judicarem, solverem, et ligarem! Ego vilis, ego impurus, ignarus, imperfectus, caecus, semper ad malum pronus, ego miserrimus debeo vices gerere infinitae majestatis tuae! Deus meus, ipsa sanctitas, sapientia, bonitas, gloria et immensitas! Cum sim taliter exaltatus a te, quomodo non essem summe confusus, et conturbatus? Conforta me, Domine, gratia tua, ut possim tantum onus digne ferre. Dignare, Deus meus, sic animum meum interius componere, sic mores meos exterius dirigere, ut verus fiam sanctissimi Filii tui imitator, repraesentemque vere fidelibus illum qui misit me, sicut tu miseras eum. Sed quid retribuam tibi pro omnibus, largitor omnium bonorum Deus, quae retribuisti mihi? Pauper, et inops sum ego; quapropter in unione Filii tui gratias ex intimis cordis mei visceribus ago tibi, quia me ad dignitatem Sacerdotalem indignum vocasti. Ecce totum, Domine, libens offero tibi, a quo profluxit omne quod habeo, ad majorem tui nominis gloriam pure, et plane refero: idque in unione perfectissimae charitatis Filii tui, in quo tibi bene complacuisti, ut ex ejus charitatis abundantia, mea juvetur infirmitas, et meus suppleatur defectus.

CAPUT III.

Necessaria Sacerdotis Sanctitas

Sancti estote quoniam ego Sanctus sum Dominus Deus vester *(Lev. 19. 2.)*

Eritis mihi Sancti quia Sanctus sum ego Dominus, et separavi vos a caeteris populis, ut essetis mei. *(Lev. 20. 26.)*

Sacerdotes incensum Domini, et panes Dei sui offerunt, et ideo Sancti erunt. *(idem 21.)*

Non egredietur Sacerdos de Sanctis, ne polluat Sanctuarium Domini, quia oleum sanctae unctionis Dei super eum est. *(idem 21.)*

Mundamini qui fertis vasa Domini. *(Is. 42. 11.)*

Sacerdotes qui accedunt ad Dominum sanctificentur, ne percutiat eos. *(Exod. 19.)*

Obsecro, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate, et mansuetudine, cum patientia solliciti servare unitatem in vinculo pacis. *(ep. ad Eph. 4.)*

Clericus professus est Sanctitatem. *(S. Aug. ser. 43. de divers. c. 4.)*

Clericus est, qui ante Dominum stat jugiter, versatur inter altaria semper, neque a Dei oculis recedit unquam, qui peccatorum causas, dolores populi suscipit, fert, offert, ingerit preces, accipit, refert, restituit impetrata, ex homine totus in Angelum substitutus, ideo sublimi opus est refulgeat sanctitate. *(S. Petr. Chrysol. ser. 26.)*

Idcirco nos Ille elegit, ut velut Angeli cum hominibus versemur in terris. *(S. Jo. Chrys. in ep. 1. ad Tim.)*

Tota vita Sacerdotis debet esse coelestis, et nullum cum terrenis affectibus debet habere commercium. *(S. Th. de Villan. conc. 3. de S. Aug.)*

Nihil in Sacerdotibus requiritur plebejum, nihil commune cum moribus inconditae multitudinis. *(S. Ambr. ep. 6.)*

Is qui in Sacrum Ordinem cooptatus est nihil petulans, ac juvenile agere debet, verum temperantem ubique, ac probe moderatam vitae rationem praeseferre. *(S. Isid. Pelus. l. 2. ep. 187.)*

Sacerdoti pro opibus est virtutis ornamentum, pro voluptate castitas, pro luxu frugalitas, pro laetitia eorum quibus praeest, incrementum. *(idem)*

Opus est, qui ad munus adeo augustum provecti sunt, non ab iis modo, quae manifeste, aperteque damnantur, sed etiam ab omni actione cum qua vitii alicujus opinio, et existimatio parum honesta, et multarum suspicionum dedecus conjunctum est, abstinere. *(S. Cyril. de ador. in ep. et ver. l. 12.)*

Levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent effugiant. *(Conc. Trid. Ses. 22. de Ref.)*

Sumus lapides Sanctuarii qui apparere semper debemus in conspectu Dei. *(S. Greg. hom. 17. in Evang.)*

Per Sacrum enim Ordinem aliquis deputatur ad dignissima ministeria, quibus ipsi in Christo servitur in Sacramento altaris, ad quod requiritur major sanctitas interior, quam requirat etiam religionis status. *(S. Th. 22.q. 184. a.8)*

Si Sacerdotes Dei, et Christi sumus, non invenio quem magis sequi, quam Deum, et Christum debeamus. *(S. Cypr. ep. 64.)*

Sacerdotes habent aliquo modo statum perfectionis saltem inchoatum, quia habent sacrum ministerium valde excellens, vi cujus ad magnam virtutem obligantur. *(Suar. de Rel. c. 14.)*

Pares Deo conentur esse sanctitate, et cunctarum imitatione virtutum, ut qui viderit Ministrum Altaris, Dominum veneretur. *(S. Ambr. 1. off. c. 60.)*

Omnibus praecipue Clericis cordi esse debet pietas, et sanctitas animi, quae quidem sit non qualiscumque, sed quae gradui singulorum, ac dignitati respondeat. *(Quid. auct.)*

Propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, idest pars Clericorum est. Qui autem vel ipse Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut et ipse possideat Dominum, et possideatur a Domino. Quod si quippiam aliud habuerit praeter Dominum, pars ejus non erit Dominus. *(S. Hier. ep. ad Nep.)*

Cui portio Deus nihil curare debet praeter Deum, ne alterius impediatur necessitatis munere. Quod enim ad alia officia confertur, hoc religionis cultui, atque huic nostro officio decerpitur. *(S. Ambr. de fug. saec. c. 2.)*

Verus Minister Altaris Deo non sibi natus est. *(idem ser. 8. supr. Psal.)*

Qui divinis ministeriis applicantur perfecti in virtute esse debent. *(S. Th. in 4. sent.)*

Ad pietatis, religionisque exercitationes vos vocatos esse cognoscite, utpote religionis Ministros. *(S. Car. Bor. in Syn. Med. Prov. 4. p. 3. c. 7.)*

Si magna sanctitas in aliis vitae christianae institutis requiritur, certe in vobis, qui mysteriorum Dei ministri, divinaeque gratiae dispensatores estis, major inesse debet. *(idem)*

Sicut Sacro Ordine a reliquis hominibus sejuncti estis, ita a communis fidelium vitae usu sejuncti, praecipuum quoddam, atque hoc praestantius vivendi genus sequimini, quo ordinis dignitate praecellitis. *(idem)*

Debet utique praeponderare vita Sacerdotis sicut praeponderat gratia. *(S. Ambr.)*

Tanto antistare caeteris Sacerdotes oportet devotione, quanto antistant omnibus dignitate; et tantum excellere merito, quantum gradu. *(Salvian. l. 2. ad Eccl. Cath.)*

Tantum inter Sacerdotem, et quemlibet probum interesse debet; quantum inter coelum, et terram discriminis est. *(S. Isid. Pelus. l. 2. ep. 205.)*

Tanta decet gloria virtutis excellere, ut instar solis caeteros stellarum igniculos in suo fulgore obscuret. *(S. Jo. Chrys. in ep. 1. ad Tit. c. 3.)*

Vilissimus est computandus, nisi sanctitate praecellat, qui est honore praestantior. *(Syn. Andegaven. a. 1293.)*

Quanto honoris quis sublimatus fuerit, tanto majoris virtutis debitor. *(S. Hier.)*

Magna sublimitas magnam debet habere cautelam: honor grandis majori debet solicitudine circumvallari, nec habeatur in Ecclesia cathedra sublimior, et conscientia Sacerdotis reperiatur humilior. *(S. Ambr.)*

Debent Sacerdotes studiose quærere quod magis est honorificum Deo, utilius nobis et proximo *(S. Bonav.)*

Virtute tales existant, ut non minus eorum vitæ probitate, et morum elegantia, quam doctrina Evangelium propagetur. *(S. Greg. Nazian. or. 1.)*

Sacerdotem hoc sentire oportet, quod et in Christo Jesu, non solum ut se per humilitatem exinaniat, sed ut crucifixionem Domini repræsentans stigmata ejus portet in corpore suo, et in ara cordis seipsum Domino crucifigat. *(Petr. Bles. ep. 123.)*

Nunquam, Sacerdos, in corde tuo nisi Christus, nunquam in ore nisi pax, nisi castitas, nisi pietas, nisi charitas. *(S. Hil. Arel.)*

Non solum Sacerdotis operatio utilis sit, et sancta, sed singularis. *(S. Greg. P. in hom. 17. in Ev.)*

In Sacerdotio plures perfectionis gradus non sunt adnumerandi, omnes enim Sacerdotes omnibus omnino virtutibus debent esse præditi, ac eminentem profiteri sanctitatem. *(Quid. Auc.)*

Oportet Sacerdotem quotidie eniti, non tantum ut non deficiat, sed ut etiam proficiat, de virtute in virtutem ire, et in dies humilior, purior, magis sobrius, mansuetior, ferventior fieri. *(Quid. Auct.)*

Quis hodie in Sacerdotibus tantus, vel talis est, qui in illo Ordine mereatur adscribi? *(Orig. h. 4.)*

Nihil est Sacerdos, si non est Sanctus. *(S. Th. de Villan.)*

Sine vitæ sanctitate Sacerdotii honore nemo unquam decorabitur. *(S. Greg. P. in 1. Reg. l. 3. c. 4.)*

Si vitæ sanctitas non præcessit, saltem sequatur. *(S. Bern.)*

Sacerdos igitur forma gregis esse debet, et ideo cæteris omnibus sanctior esse oportet, quatenus cum Paulo dicere queat: imitatores mei estote, sicut et ego Christi. *(Quid. Auct.)*

Magna, Domine, maxima sane est dignitas Sacerdotalis; magnam, et maximam certe perfectionem requirit. Magna, maxima quidem ruina Sacerdotum, si ad perfectionem non anhelantes, non vereantur de die in diem deficere, sicque in profundum tandem descendere. Deus meus, Deus meus, adjutor meus, quid faciam? Debeo sanctus, et perfectus esse; homo autem sum, impotens homo, cæcus homo, ad omnia mala pronus, ad omnia bona tardus. Quid faciam? Hoc unum, Domine, mihi superest, ut levem oculos meos ad te, ut de profundis clamem ad te, Deus, rogans ut veniat auxilium mihi. Domine ædifica, secus invanum ædificabo: Domine custodi me secus in vanum custodiam: Domine, eripe me de inimicis meis, secus frustra bellabo: Domine deduc me de virtute in virtutem, secus frustra conabor. Custodi me, Domine, ut pupillam oculi, ut me Satan nunquam vincat, caro nunquam seducat, mundus nunquam decipiat. Domine in adjutorium meum intende, ad adjuvandum me festina, ut ambulem recte coram te, et sim perfectus; ut sim per-

fectus, et sanctus; sicut tu sanctus et perfectus es: et omnes indue Sacerdotes sanctitate tua, ut sancti ipsi populos sanctificent.

CAPUT IV.

Sacerdos malus quantum malum

Ad vos, o Sacerdotes, qui descipitis nomen meum. . . . Filius honorat patrem, et servus dominum suum: si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? Si dominus ego sum, ubi est timor meus? dicit Dominus exercituum; ad vos, o Sacerdotes, qui despicitis nomen meum: offertis super altare meum panem pollutum. *(Malac. c. 1. v. 6.)*

Væ Pastoribus qui disperdunt, et dilacerant gregem pascuæ meæ; dicit Dominus. Ideo hæc dicit Dominus ad Pastores qui pascunt populum meum: vos dispersistis gregem meum, et ejecistis eos, et non visitastis eos; ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum. *(Jer. 23. 1. 2.)*

Propheta, et Sacerdos polluti sunt, et in domo mea inveni malum eorum, ait Dominus; idcirco via eorum erit quasi lubricum in tenebris; impellentur enim, et corruent in ea; afferam super eos mala, annum visitationis eorum. *(idem 23. 11. 12.)*

Qui sibi nequam est, cum alii bonus erit? *(Eccl. 14. 5.)*

Ab immundo quid mundabitur? *(Idem 34. 4.)*

Nulla re Deus magis offenditur, quam quod indigni, et peccatores Sacerdotii dignitate præfulgeant. *(S. Jo. Chrys. hom. 41. in Matt.)*

Grandis dignitas Sacerdotum, sed grandis ruina si peccant. *(S. Hier. l. 18. in c. 44. exod.)*

Quod veniale est plebi, criminale est Sacerdoti. *(Petr. Bles. ser. in 1. v. ps. 2,)*

Sacerdotum tam excellens est electio, ut quæ in aliis Ecclesiæ membris non vocantur ad culpam in illis tamen habeantur illicita. *(S. Leo ep. 84. ad Anast.)*

Plerumque quod in laicis culpa non est, hoc crimen est in Sacro Ordine constitutis. *(S. Gr. P. ep. 5. l. 18.)*

Dignioris personæ gravius est delictum. *(S. Jo. Chrys.)*

Quo gratia est cumulatior, et status sublimior, eo casus est gravior, et damnabilior culpa. *(S. Laur. Just.)*

Equidem monstruosa res est **gradus summus, et animus** infimus; sedes **prima, et vita** ima; lingua magniloqua, et **manus otiosa**; sermo multus, et fructus nullus; vultus gravis, et actus levis; ingens auctoritas, et nutans stabilitas. *(S. Bern. l. 2. de cons. c. 7.)*

Gravius peccat Clericus in Sacris constitutus si aliquid sanctitati contrarium agat, quam aliquis religiosus, qui non habet Ordinem Sacrum. *(S. Th. 2. 2. q. 184, a. 3.)*

Vere magna confusio Sacerdotum, et omnium Clericorum, quando laici inveniantur fideliores, et justiores. *(S. Jo. Chrys. hom. 4. op. imp.)*

Erubescant Sacerdotes si sacratioris vitæ inveniantur laici, qui hujus vitæ fluctibus sunt immersi. *(S. Gr. P.)*

Homo christianus fortiter cadit in peccatum, aut propter magnitudinem peccati, ut puta si laicus homicidium fecerit, aut propter altitudinem dignitatis, ut puta si sit Clericus. Clerici, etsi pondus peccati non habent, idest, etsi grande peccatum non fecerint, sed leve, tamen fortiter ruunt propter altitudinem dignitatis. *(Auct. op. imp. in Matt. hom. 40.)*

Scienti legem, et non facienti peccatum est grande. *(S. Ambr. de dig. Sac. c. 3.)*

Sacerdos eadem peccans cum populo, multo graviora patietur. *(S. Jo. Chr.)*

Vae tibi, Clerice, qui peccatum populi comedis, bonum tibi erat magis fodere aut mendicare. *(S. Bern. in Decl.)*

Si privatim pecces nihil tale passurus es: si in Sacerdotio periisti. *(S. Jo. Chrys. de Sac.)*

Cur, o Sacerdos, qui sacrum dare, hoc est sacrificium debes offerre, temetipsum prius maligno spiritui non vereris victimam immolare? *(S. Petr. Dam.)*

Væ Ministris infidelibus qui nondum reconciliati reconciliationis alienæ negotia apprehendunt. Væ filiis iræ qui se Ministros gratiæ constituunt. Væ iis qui ambulantes in carne Deo placere non possunt, et velle placare præsumunt. *(S. Bern. de Conver. ad Cler. c. 27.)*

Si recte vivatis non modo totum orbem emendabitis, sed etiam id efficietis, ut Deus glorificetur. Si vero contra feceritis, et homines perdetis, idque efficietis, ut Deus blasphemetur. *(S. Jo. Chrys.)*

Ruinae populi causae sunt Sacerdotes mali. *(S. Greg. P. l. 4. ep. 64.)*

Miserrimi! quomodo Sacerdotes vocamini? Quomodo mi-

nistri Dei dicimini? Non aedificatis, sed destruitis; non sanatis, sed occiditis; non salvatis, sed perditis oves Christi. *(Quid. Auct.)*

Videre est omnem Ecclesiasticum zelum fervere sola dignitate tuenda; honori datur totum, sanctitati nihil aut parum. *(S. Bern, de Consid.)*

Credis hunc esse Domini Sacerdotem? Qui in suo lenocinio moliendo, capitis fimbrias admittit, qui tonsorem diligit, qui scapulis molliter gestit, qui foeminas curiosus intuetur, qui divitias appetit, qui saecularia diligit, qui mundi, ac carnis voluptatibus indulget? Nunquam tales pestes dignatus est Christus habere ministros *(Quid Auct)*

Novo quotidie supplicii genere afficior, membratim namque concidor, dum candidas militantis Ecclesiae stellas insigni pietatis fulgore coruscantes a cauda draconis in terram detrahi video *(S. Pionius Mart. Sacerd. Smyrn.)*

Dico horribile quoddam, atque tremendum, non est ita malum in Ecclesia Dei daemoniacos esse, sicut Sacerdotes, qui peccatorum sordibus inquinantur. *(S. Jo. Chrys. hom. 41. in Mat.)*

Iniqua agunt caeteri contra Christum, crudeliorem tamen eam censet persecutionem, quam a propriis sustinet ministris. *(S. Bern. serm. in conv. S. Paul.)*

Nulla certe in mundo tam crudelis bestia quam malus Sacerdos, nam corrigi non patitur. *(S. Euseb. ep. ad Damas.)*

Laici delinquentes facile emendantur: Clerici vero si mali fuerint inemendabiles sunt. *(Auct. op. imp. hom. 43.)*

Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum coeleste, et participes facti sunt Spiritus Sancti gustaverunt nihilominus Dei verbum, et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam. *(Quid. Auct.)*

Alii enim si saepe delinquant, possunt tamen ad veniam pervenire. Si vero hoc Magister ipse patiatur, omni satisfactione privabitur, et supplicia extrema persolvet. *(S. Jo. Chr. in cap. 7. Matt.)*

Quis aliquando videt Clericum poenitentiam agentem? sed etsi deprehensus humiliaverit se, non ideo dolet, quia peccavit, sed confunditur, quia perdidit gloriam suam. *(S. Jo. Chr. hom. 40. in Matt.)*

Erubescit aliquando reus videri, qui semper fuerat Judex. *(Quid. Auct.)*

Plerique eorum in impoenitentis cordis caliginem proj-

iciuntur, et nulla hominis exhortatione resipiscunt. *(S. Greg. P. l. 1. c. 3. Reg.)*.

Ingrediuntur electi Sacerdotum manibus exoptati coelestem patriam, et Sacerdotes ipsi per vitam reprobam in inferni supplicia festinant similes aquae, quae peccata baptizatorum diluens, illos ad regnum coeleste mittit, et ipsa postea in cloacas descendit. *(S. Gr. P. hom. 11 in Ev.)*

Sic Deus irascitur peccantibus Sacerdotibus, ut etiam sacratis locis suis, vasisque non parcat. *(S. Prosp. Aquit.)*

Hoc teneo, hoc verum puto quod Clerico non bonus finis, cui semper fuerit mala vita. *(S- Bonav.)*

Si Sacerdotium corruptum fuerit omnis fides marcida est. *(S. Jo Chr. hom. 38. in Mat.)*

—

Aperi, Domine, aperi cor meum, ipsique horrorem peccati, et odium iniquitatis magis ac magis infunde. Confige timore tuo carnes meas, ut non peccem tibi. Veruntamen vide, Domine, infirmitatem meam ad malum adeo proclivem, Sacerdos quidem sum; sed et homo sum iniquitate conceptus. Adjuva me, dirige me, tene dexteram meam, et in voluntate tua deduc me. Vide, Domine, furorem Satanae inimici mei. Ecce continuo rugiens ut leo, circuit quaerens quem devoret. Eripe me de inimico illo. Deus meus, ad te confugio: nisi tu me custodieris, frustra vigilabo, frustra me custodire conabor. In te confido: protege me; defende me et non peribo in infirmitate mea.

CAPUT V.

Sacerdos bonitatis exemplar

—

Sicut populus, sic et Sacerdos. *(Ose. c. 41.)*

Vos estis lux mundi: vos estis sal terrae. *(Matt. 5.)*

Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est. *(idem 5. 16.)*

Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate, uno verbo in omnibus. *(1. Tim. 4.)*

In omnibus teipsum praebe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate, ut is qui ex adverso est, vereatur nihil habens malum dicere de nobis. *(2. Tit. 7. 8.)*.

Tu autem, o homo Dei, sectare justitiam, pietatem fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem. *(1. Tim. 11.)*

Juvenilia autem desideria fuge, sectare vero justitiam, fidem, spem, charitatem, et pacem cum iis, qui invocant Dominum de corde puro. *(2. Tim. 22.)*

Praedica verbum, insta opportune, importune; argue, obsecra, increpa in omni patientia, et doctrina, vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistae, ministerium tuum imple: sobrius esto. *(2. Tim. 2,)*

Noli contendere verbis; ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium. Solicite cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis. Profana autem, et vaniloquia devita; multum enim proficiunt ad impietatem. Stultas, et sine disciplina quaestiones devita; sciens quia generant lites. *(2. Tim. 14. 15. 16. 23.)*

Sacerdos cognoscat quid, cui, quando, quomodo proferat. *(S. Isid. l. 2. off. c. 5.)*

Ipse incessus, et motus, auditus, sermo, silentium quamdam decoris sacri praeferant dignitatem. *(S. Hier.)*

In his duobus mandatis, verbi scilicet, et exempli, summam tui officii, sed et conscientiae securitatem pendere intellige. (*S. Bern. de cons. l. 4.)*

Cum omnes omnino disciplinam tenere oporteat, multo magis Praepositos, et Diaconos curare hoc fas est, quo exemplum, et documentum caeteris de conversatione, et moribus suis praebeant. Quomodo enim possunt integritati, et continentiae præesse, si ex ipsis incipiant corruptelae, et vitiorum magisteria procedere. *(S. Cypr. ep. 62. ad Pompon.)*

Rideri, et ridere saecularibus derelinque, gravitas tuam personam decet. *(S. Hier. ad Nepotian.)*

Os tuum os Christi est: non debes non dico ad mendacia, non dico ad detractionem, sed neque ad otiosos sermones os aperire, quod ad solas laudes Dei, et aedificationem proximi debes patulum habere. *(S. Anselm.)*

Linguam etiam, quae inter Deum, et nos quodammodo mediatrix est a supervacui levitate sermonis compescant. *(S. Petr. Dam.)*

Sit in incessu honestas: nihil petulantiae, nihil arrogantiae in incessu appareat. *(S. Isid. Hisp. de contemp. mund.)*

Honestas requirit ut non impetuosis gressibus ambulent. *(S. Bonav. spec. p. 2. c. 21.)*

Non fictis gressibus ambulent: sine modulatione gressuum incedant: studium desit, atque affectatio. *(idem)*

Sine ventilatione brachiorum, sine gesticulatione scapularum, non recta cervice, non prominente pectore, non inclinato capite. *(S. Bern.)*

Quae omnia, aut levitatem redolent, aut elationem ostentant, aut hypocrisim sapiunt. *(S. Bonav. 1. p. spec. c. 9.)*

Sine alterutra superjectione pedum, sine alterutra accubatione laterum, sine divaricatione, seu dilatatione crurium. *(idem)*

Ne pedes permutes aut saepe movearis: hoc enim signum est levitatis. *(S. Clem. Alex. paedag. l. 2. c. 7.)*

Incongruum enim pigra membra distensione resolvere. A notabilibus corporis, seu membrorum extensionibus, quae non sine quadam inhonestate fieri solent omnino abstineant. *(S. Bon. spec. p. 3. c. 25.)*

Ne hominibus de externis tantum judicantibus scandalo sint, eorumque status, et ministerium in contemptum veniant. *(Conc. Mexic. 1585. l. 3. t. 5.)*

Sic decet omnino Clericos in sortem Domini vocatos, vitam, moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil nisi grave, moderatum, ac religione plenum praeseferant, levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. *(Conc. Tr. Sess. 28. c. 14. de Ref.)*

Ita pietate, et castis moribus conspicui, ut praeclarum bonorum operum exemplum, et vitae monita ab eis possint expectari. *(idem)*

Nihil est quod alios magis ad pietatem, et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita, et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt. Cum enim a rebus saeculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos, tanquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur. *(idem)*

In omni incessu, statu, gestu, vultu Ordinem suum Sacerdos, et Clericus profiteatur, omni clericalis vitae a-

ctione religiosi animi mores exprimens, qui in Ecclesiastici Ordinis hominibus elucere debent. *(S. Car. Bor. in Conc. Med. 4.)*

Ita se gerant in omnibus, ut gestus, gravitas semper maturitatem ostendat. *(Conc. Cartag.)*

In incessu sive domi, sive foris gravitatem, et modestiam praeseferant. *(Act. Eccl. Med. de inst. Semin. c. 5.)*

Tales se foris exhibeant, ut omnibus se intuentibus formam disciplinae, et verecundiae, ac modestiae infundant. *(Conc. Valer. 3. sub Loth.)*

Clerici laicos in vita sicut in officio praecedant. *(S. Ambr. de dig. Sac.)*

Sacerdos qui operatione sit praecipuus spectatores suos ad sublimia operis invitat. *(S. Greg. P. in Past. p. 2. c. 3.)*

Sacerdos qui in regno coelorum vult esse magnus, sit in populo praevius, ut quod voce se sequentibus dictat, primus ipse vivis operibus impleat. *(S. Petr. Dam. in ep. ad Fir.)*

Quam admirabile! Erat in Clericis illis vitae contemptus, singularis castimonia, accuratio Levitarum. Si devotiones Cleri perspiceres angelici ordinis observatione gauderes. *(S. Ambr. or. in mort. S. Euseb. Ep. Vercel.)*

Mementote, quod Sacerdotibus dicitur: Vos estis sal terrae. Sed sicut Veritas dicit; Si sal evanuerit in quo salietur? *(S. Petr. Dam. l. 2. ep. 1.)*

Estote solliciti in omni justitia, bonitate, et veritate, ut et vos, et alios, et Dei Ecclesiam illuminetis. *(S. Eccl. in Ord. Acol.)*

Sit odor vitae vestrae delectamentum Ecclesiae Christi, ut praedicatione, atque exemplo aedificetis domum, idest familiam Dei. *(Ibid.)*

Eam vos virtutem induite, ut videant alii, quasi lumen aliquod, vestram sanctitatem elucere. *(S. Car. Bor. in Syn. Pro. 4. p. 3. c. 7.)*

Mementote vos esse lucernas super candelabrum positas, ad quas oculorum omnium acies convertuntur, omnesque a vobis ecclesiasticae vitae rationem exigere, et eximia sanctitatis exempla requirere. Sit vita vestra speculum sanctitatis, Christi bonus odor, lux mundi, exemplum facti fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate. *(Quid. Auct.)*

Attende quod ex quadam obligatione, quae tuo adnexa est officio exigitur a te spiritualium frugum mensura pro-

pensior, ut sit devotior in oratione, in lectione studiosior, in castitate cautior, parcior in sobrietate, patientior in duris, in risu rarior, suavior in conversatione, gravior in vultu, et gestu, et habitu, moderatior in verbis, profusior in lacrymis, in charitate ferventior. *(Petr. Bles.)*

Ubi modestia, et mansuetudo Sacerdotis elucebit, si semper in honore sit nec unquam contemnatur? In his quidem, quae ad se pertinet, si contemnatur Sacerdos, sive Episcopus, constantissime ferre debet; sic enim per patientiam virtus praedicationis ostenditur. Verum in his, quae aliorum salutem tangunt, contemptui omnino non pateat; id enim non mansuetudinis esset, sed stultitiae; neque hic mansuetudine, sed auctoritate opus est ne Ecclesiae utilitas pereat. *(S. Jo. Chrys.)*

Sacerdos in omnibus semper bonum de se praebere debet exemplum, praeferens humilitatem, redolens castitatem, deferens pietatem, exigens reverentiam, solo visu laetificans, et aedificans intuentes. *(Quid. Auct.)*

Qui operibus emicant, etiamsi silentio celent, spectatorum tamen oculos erudiunt. *(S. Isid. l. 2. off. c. 5.)*

Luminis instar universum orbem illustrantis Sacerdotis animam splendescere oportet. *(S. Jo. Chrys. l. 2. de Sac. c. 1.)*

Idcirco nos elegit, ut simus quasi luminaria *(Idem hom. 10.)*

Multi Sacerdotes, et pauci Sacerdotes: multi nomine, pauci opere. *(Auct. op. imp. hom. 43. in Matth.)*

Festinandum est nobis, ut a paucis, et rarissimis sumamus exempla virtutum. *(Cassiod. Collat. 3. c. 7.)*

Isti dati sunt tibi in exemplum, et plus te provocare debent ad proficiendum, quam tepidorum numerus ad relaxandum. Vide ergo quomodo adimpleverint ministerium quod tu ipse accepisti, et cura ut illud similiter adimpleas. Vide quomodo per sanctitatem suam omnium oculos ad se traxerint: vide qualiter verbum Dei praedicaverint, quomodo, et quantum orationi vacaverint. Vide quales fuerint in habitu, gestu, sermone; quam graves et moderati in moribus; quam mansueti et humiles in conversationibus; quam mortificati, et misericordes; quam parum solliciti de temporalibus, quam ardentes ad spiritualia. Vide quantum fuit in ipsis odium vitii, quanta aemulatio virtutis. Vide et fac similiter. *(Quid. Auct.)*

—

Accende, Domine, me igne illo quem venisti mittere in terram, ut tibi Domino meo serviens, spiritu fervens sim, et omnia agam in gloriam tuam, eamque pro viribus promoveam. Excita insuper torpescentes Sacerdotes ad te sincero cordis affectu amandum; si enim amaverint te, nonne animas a te ita dilectas, et in amorosis tuis visceribus pretiosas, exemplo suo sanctificabunt, et ardenter amabunt, et salvabunt? Omnia siquidem vincit amor. Utinam ergo tuo excitati amore, agonizemur omnes pro justitia tua, consumamur certatim pro gloria tua, pro nostra, omniumque salute.

CAPUT VI.

Sacerdos malum praebens exemplum, horrendum!

—

Grandis infelicitas si talis fuerit Sacerdos, qualis populus. *(Ose. 4.)*

Levitae, qui facti sunt domui Israel in offendiculum iniquitatis portabunt confusionem suam, et scelera sua, quae fecerunt. *(Ezech.)*

Filii Eli, filii Belial, nescientes Dominum, neque officium Sacerdotum ad populum: erat peccatum puerorum grande nimis coram Domino; quia retrahebant homines a sacrificio Domini. *(1. Reg. 12. 17.)*

Vos, o Sacerdotes, recessistis de via, et scandalizastis plurimos in lege: irritum fecistis pactum Levi, dicit Dominus exercituum; propterea et ego dedi vos contemptibiles, et humiles omnibus populis. *(Malach. 2. v. 9.)*

Laicus, qui vult bene vivere, cum attendit Clericum malum, male vivit. *(S. Aug. Ser. de verb. Dom.)*

Populum videmus nugacem eo quod tales habeant Sacerdotes *(S. Ambr. de dig. Sac.)*

Plurimi considerantes Clericorum vitam malam ex hoc vacillantes, imo multoties deficientes in fide, non credunt quod illa quae de nostra fide sunt scripta, sint vera, sed scripta fuerint non Dei spiramine, sed humana, et deceptoria inventione, clavium virtutem non credunt, Sacramenta despiciunt, vitia non vitant, virtutes non reputant, non horrent inferos, coelestia non concupiscunt. *(S. Bernardin. Sen.)*

Viso pravorum Sacerdotum exemplo peccator fiduciam peccandi sumit, et incipit de peccato, quod prius reputabat erubescibile, gloriari, *(Quid Auct.)*

O Sacerdos, non pastor, sed seductor gregis Christi! Oculum pro oculo, dentem pro dente restitues, erit anima tua pro animabus illarum. Vident enim mores tuos non esse cum doctrina conformes: modo dubitant utrum vera esse putes dogmata, quae doces, utrum credas, utrum vera sint. Modo dicunt intra se: doctor ipse, pastor ipse, apostolus ipse non credit; cur crederem? infernum non timet; cur timerem ?Hinc incredulitas, hinc impietas. *(idem)*

In te omnium oculi diriguntur. Domus tua, et conversatio tua quasi in specula constituta, magistra est publicae disciplinae. Quidquid feceris, id sibi omnes faciendum putant. Cave ne committas, quod aut qui reprehendere volunt, digne lacerasse videantur, aut qui imitari, cogantur delinquere. *(S. Hier. ep. 3. ad Heliod.)*

Quomodo potest Sacerdos observari a populo, qui nihil habet secretum a populo, dispar a multitudine? Quid enim in te miretur, si sua in te recognoscat, si nihil in te aspiciat quod ultra se inveniat; si quae in se erubescit, in te quem reverendum arbitratur, offendat? *(S. Ambr. l. 3, ep. 21.)*

Qua libertate laicos corripere poterunt Sacerdotes, cum tacite sibi ipsi respondeant eadem se admisisse quae corripiunt. *(Con. Trid. Ses. de ref.)*

Sacerdos cavere debet ne eadem agat, quae in aliis exprobranda, et corrigenda putaverit; ne cum de alio judicat in se ferat ipse sententiam. *(Quid Auct.)*

Contumelia Sacerdotum est de divinis cultibus admoneri, quod enim ipsi debent exigere turpiter exiguntur. *(S. Gregorio P.)*

In omnibus motibus vestris nihil fiat quod cujusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem. *(S. Aug. c. 3. Reg.)*

Videte, Sacerdotes, quomodo vos componatis in verbo, et opere, quoniam si aliquis Christianorum peccaverit, non omnino peccant et sacerdotes: si autem ipsi Sacerdotes fuerint in peccatis, totus populus convertitur ad peccandum. Ideo unusquisque pro suo peccato reddet rationem; Sacerdotes autem non solum pro suis sed etiam pro omnium peccatis rationem reddituri sunt. *(S. Jo. Chr. hom. 38. in Matth.)*

Heu quam foedissimum est, quosdam videre Clericos in sui quoque corporis motibus mundani potius, ac saecularis quam ecclesiastici spiritus signa praebere. *(Quid. Auct.)*

Qui ambulando imitantur histrionicos gestus, et statuarum motus, ut quotiescumque gradum transferunt, modulos quosdam servare videantur. *(S. Ambr. 1. off. 18.)*

Ne plantas humidior via spargat vix terrae imprimunt vestigia: hos magis sponsos existimo quam Clericos. *(S. Hier. ep. ad Eustoch.)*

Inter saeculares nugae nugae sunt, in ore Sacerdotis blasphemiae. Interdum tamen si incidunt ferendae fortassis, referendae nunquam. Consecrasti os tuum Evangelio; talibus jam aperire illicitum, assuescere sacrilegum est. Foede ad cachinnos moveris, foedius moves. *(S. Bern. l. 2. de consid. c. 13.)*

Ad Pauli sententiam redigendi procul dubio sunt Sacerdotes, quae ait non licere quae non expediunt, non licere quae non aedificant. *(V. Card. Baron.)*

Sacerdotum vita quondam per gloriam virtutum clara, nunc per actiones intimas ostenditur reproba. *(S. Greg. P. hom. 17. in Ev.)*

Quam multi Sacerdotes qui ventri indulgent, moribus saecularium se conformant, convivia appetunt, et sine refraenatione sectantur, congerendis pecuniis student, inter mulierum consortia amant ridere, colloquiis inanibus, imo et detractoriis tempus terunt, vanitati interius, exteriusque, dediti cernuntur, lectioni, et meditationi rerum sacrarum nihil temporis impendunt; mundani sunt, animales, terreni, liberiores, scioli, et inani scientia tumidi, dominatum ambientes, et tamen nihil sibi timent, et cor non ingrediuntur, ut miseriam suam, et egestatem agnoscant, ac prava exempla quae saecularibus suppeditant. *(Quid. Auct.)*

In ipsis erit major maledictio prae aliis, quia se vita sua perdunt, et alios exemplo suo seducunt. *(Idem.)*

In exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia Ordinis peccator honoratur. *(Dist. 8. c. nemo.)*

Quomodo non sit confusio esse inferiores illis laicis, quos et aequales esse confusio est? *(S. Jo. Chr. hom. 40. Matt.)*

Languescit saecularium pietas, ubi vita Clericorum non splendescit. *(Syn. Ven. a. 1592.)*

Ex hoc contemnunt verbum Dei, et sacrificium, et ex pravis exemplis Sacerdotis pejores fiunt. *(S. Th.)*

Nullum ab aliis majus praejudicium, quam a malis Sacerdotibus tolerat Deus, quando eos quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit: quando ipsi peccamus, qui peccata compescere debuimus. *(S. Gr. P. hom. 17. in Luc.)*

Scire debent Sacerdotes, quia si perversa unquam perpetrant tot mortibus digni sunt quot perditionis exempla transmittunt. Unde necesse est, ut tanto se cautius a culpa custodiant, quanto per prava, quae faciunt, non soli moriuntur, sed animarum, quas malis exemplis destruxerunt, rei sunt. *(Idem.)*

Auctores mortis existimus, qui esse debemus duces ad vitam. *(Idem)*

Jam odibile est Deo scandalum, ut peccata graviora dissimulet, in quibus ruina fratris non est, non autem levia, in quibus frater offenditur, et scandalizatur. *(S. Jo. Chr. serm. cont. concub.)*

Nihil detestabilius, ac perniciosius scandalo Sacerdotis! *(Quid. Auct.)*

Sacerdos scandalum praebens non pastor sed seductor gregis Christi: oculum pro oculo, dentem pro dente restituet ille nequissimus; erit anima ejus pro animabus illorum. *(Idem)*

Vae Sacerdoti! Vae Praesuli! Vae Pastori! tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. *(Dist. 11. c. praecip.)*

Quomodo punietur ille qui, cum ex officio debeat enarrare justitias Domini, emendare peccatores, et parare plebem perfectam, adversus filios matris Ecclesiae, adversus oves Christi scandalum ponit. *(Quid. Auct.)*

Nolite, Sacerdotes, coelum claudere; clauditis cum male vivere ostenditis. *(S. Aug. serm. 36. ad Fr.)*

—

Domine, ex quo omnia, et per quem omnia sunt, qui me in Sacerdotem tuum elegisti, ne permittas, quaeso, ut sic fiam in gloriae tuae et animarum ruinam, sed in resurrectionem, et sanctificationem. Miserere mei, quoniam in te confidit anima mea: ab occultis meis munda me Domine, et ab alienis parce servo tuo; et quamvis, ut confido, jam mundatus sim, amplius lava me ab ini-

quitate mea, ut introire identidem possim ad altare tuum, ubi, ut confido, renovabis juventutem meam: ne confundas me ab expectatione mea.

CAPUT VII

De Episcopis, ac de iis curam animarum habentibus

—

Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis: qui condolere possit iis, qui ignorant, et errant: quoniam et ipse circumdatus est infirmitate, et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam, et pro semetipso offerre pro peccatis. *(Hebr. 5.)*

Dabo vobis Pastores juxta cor meum, qui pascant vos scientia, et doctrina. *(Hierem. c. 1.)*

Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo *(Act. 20. 28.)*

Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, nec turpis lucri gratia, neque ut dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo *(I. Petr. 5.)*

Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis. Oves vocem ejus audiunt, et proprias oves vocat nominatim, et educit eas, et cum proprias oves emiserit ante eas vadit, et oves illum sequuntur. Mercenarius autem, et qui non est Pastor, cujus non sunt oves propriae, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit, et lupus rapit, et dispergit oves. *(Jo. 10. 11.)*

Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera. *(Prov. 17. 28.)*

Oportet Episcopum irreprehensibilem esse. *(1. Tim. 3.)*

Oportet Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere. *(Tit. 1.)*

Sit quotidiana ipsorum instantia pro grege: sint pes claudo, oculus coeco, orphanis pater. Speculatores domus Israel, et positi custodes in vinea, vineam attente ..sto-

diant, et vigilent super vigilias noctis, zelo zelantes pro Domino Deo exercituum. Amplectantur eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potentes sint exhortari, et eos qui contradicunt arguere. *(Ep. 1. Tim.)*

Honor et sublimitas Episcopalis nullis poterit comparationibus adaequari. Si regum fulgori compares, et principum diademati, longe erit inferius, quam si plumbi metallum ad auri fulgorem compares. *(S. Gr. P. VII. can. duo sunt dist. 96.)*

Praeterea nosse debueras, quod fecit Deus duo magna luminaria in firmamento coeli; luminare majus ut praeesset diei, et luminare minus ut praeesset nocti, utrumque magnum, sed alterum majus. Ad firmamentum igitur coeli, hoc est universalis Ecclesiae, fecit Deus duo magna luminaria, idest duas instituit Dignitates, quae sunt Pontificalis auctoritas, et Regalis potestas, sed illa quae praeest diebus, idest spiritualibus, major est; quae vero carnalibus, minor: ut quanta est inter solem, et lunam, tanta inter Pontifices, et Reges differentia dignoscatur. *(Innoc. P. III. ad Imp. Orien. c. Solitae de maj. tob.)*

Apostolis docentibus in locum eorum successerunt Episcopi, quos qui recipit, et verba eorum Deum recipit; qui autem spernit eos, eum a quo missi sunt, et cujus legatione funguntur, spernit, et ipse indubitanter spernetur a Domino. *(S. Anacl. P. ep. a qua Can. In Novo. Dist. 21.)*

Reveremini Episcopum sicuti Christum, quemadmodum nobis praeceperunt Apostoli. Episcopus enim typum Dei Patris omnium gerit. *(S. Ign. Ep. et Mar. ep. ad Smyrn.)*

Esto subjectus Pontifici tuo, et quasi animae parentem suscipe. *(Can. Esto subjectus Dist. 93.)*

Quicumque Episcopis non obediunt indubitanter rei, et reprobi existunt. *(2. Clem. ep. 5. post med.)*

Oves Pastorem suum non reprehendant; plebs Episcopum non accuset, nec vulgus eum arguat, quoniam non est discipulus super magistrum, neque servus supra dominum. Episcopi autem a Deo sunt judicandi, qui eos sibi oculos elegit; nam a subditis, aut pravae vitae hominibus non sunt arguendi, vel accusandi, aut lacerandi. *(S. Pius P. I. Can. Oves. 6. q. 1.)*

In Ecclesia iste ordo est, alii praecedunt, alii sequuntur, et qui praecedunt exemplo se praebent sequentibus, et qui sequuntur, imitantur praecedentes. Ergo qui di-

rectos gressus habent in petra (idest Pastores) forma sint Fidelibus, ut cum Paulo dicere possint: Imitatores mei estote, sicut et ego Christi. *(S. Aug. in Ps. 39.)*

Ante omnia peto, ut cogitet religiosa prudentia tua, nihil esse in hac vita, et maxime hoc tempore; facilius, et laetitius, et hominibus acceptabilius Episcopi, aut Prebysteri aut Diaconi officio, si perfunctorie, atque adulatorie res agatur; sed nihil apud Deum miserius, tristius, et damnabilius. *(Idem. ep. 148. ad Valerium.)*

Nihil laboriosius, difficilius, periculosius Episcopi officio. *(Idem. ep. 21.)*

Qui enim vocantur ad Episcopatum, non ad principatum vocantur, sed ad servitium totius Ecclesiae *(Idem. sup. Isai. hom. 7.)*

Semper agens praestantius est patiente, in genere autem perfectionis secundum Dionysium Episcopi se habent ut perfectiores, Religiosi autem ut perfecti, quorum unum pertinet ad actionem, alterum autem ad passionem; unde manifestum est, quod status perfectionis potior est in Episcopis, quam in Religiosis. *(Id. l. 12. c. 6. sup. Gen.)*

Cum Episcopi officium sit angelicis humeris formidandum, mirum est, si quis nimis prorsus amens, audet Episcopi officium appetere. *(Quid. Auct.)*

Pastoralis curae pondera, qui vacat, incaute non expetat, et qui incaute expetiit, pertimescat. *(S. Greg. P. in Past.)*

Nam pensandum valde est ad culmen quisque regiminis qualiter veniat; atque ad hoc rite perveniens, qualiter vivat; et bene vivens, qualiter doceat, et recte docens, infirmitatem suam quotidie quanta consideratione cognoscat: ne aut humilitas accessum fugiat; aut pervenioni vita contradicat, aut vitam doctrina destituat; aut doctrinam praesumptio extollat. *(Idem)*

Si novisses, quod Episcopus debet omnium onera gestare: quod aliis irascentibus datur venia, ipsi vero nequaquam: quod aliis peccantibus superest excusatio, ipsi vero minime: haudquaquam festinasses ad Primatum, haudquaquam accurrisses. Hic enim omnium linguis expositus est, omnium judiciis objectus, et sapientium, et insipientium; curis perpetuis obtunditur, tum diurnis, tum nocturnis. Multos habet, quibus est invisus, multos habet invidentes. Dic mihi, si qui decem habet filios subditos, assidue cum ipso viventes, cogitur sine intermissione cu-

ram illorum agere; quid non patietur is, qui tot habet, non domesticos, sed obedientiam habentes in sua ipsorum potestate? Quam multos cogitur offendere volens nolens? Quam multos objurgare velit nolit? *(S. Jo. Chr. hom. 3. in Act. Apost.)*

Non vides quam multas oportet res adesse Episcopo, ut sit appositus ad docendum, ut tolerans malorum, ut tenax sit; ac fidelis in doctrina sermonis? Quanta hoc difficultatis; et quod alii peccant, illi imputatur. Nihil dico praeterea, si vel unus tantum decedat non initiatus, nonne totam ipsius subvertit salutem? Unius enim animae perditio tantam habet jacturam; uti nulla ratio possit aestimare; etenim si unius animae salus tanti est, ut ob hanc Filius Dei fieret homo, tantaque pateretur perditio, cogita, quantam conciliabit poenam? Quod si quis ob hominem in hac vita perditum morte dignus est, quanto magis ille? Proinde si quis ad summum Sacerdotium accesserit, velut ad sollicitudinem, et curam; nullus illud facile susceperit. Nunc autem non aliter quam profanos magistratus, et hanc affectamus dignitatem; nimirum ut honorificemur, et glorificemur apud homines, perdimur apud Deum. *(S. Jo. Chr. hom. 3. in Act. Apost.)*

Cogitet Episcopus, quanta in eo sanctitatis, et sapientiae eminentia esse debeat, cum ad ejus comparationem homines illi subjecti, non homines ratione praediti, sed oves rationis expertes dici posse videantur. Haec si apud se diligenter perpenderent, qui ad Episcopatum aspirant, fortasse non solum non quaererent sedem illam horroris plenam, sed vix compulsi, et coacti illam conscenderent. *(Quid. Auct.)*

Sunt namque nonulli; qui intra sanctam Ecclesiam per speciem regiminis gloriam affectant honoris; videri doctores appetunt, transcendere caeteros concupiscunt, atque attestante Veritate, primas salutationes in foro, primos in coenis recubitus, primas in conventionibus cathedras quaerunt: qui susceptum curae pastoralis officium ministrare digne tanto magis nequeunt, quanto ad humilitatis magisterium ex sola elatione pervenerunt. Ex se et non ex arbitrio summi Rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus nequaquam divinitus vocati, sed sua cupidine accensi, culmen regiminis rapiunt potius, quam assequuntur. *(S. Gr. P. in Past.)*

Oportet igitur, ut metiri se sollicite studeat, quanta te-

nendae rectitudinis necessitate constringitur, sub cujus aestimatione populus grex vocatur. Sit ergo necesse est cogitatione mundus, actione praecipuus, discretus in silentio, utilis in verbo, singulis compassione proximus, prae cunctis contemplatione suspensus, beneagentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiae erectus, internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam in interiorum solicitudine non relinquens. *(S. Gr. P. in Past.)*

Christus optimi Pastoris regulam proferens dixit: Bonus Pastor animam suam ponit pro ovibus: sunt enim sanctorum animae vehementer mites, et hominum amantes, non solum erga domesticos, sed alienos, ita ut hanc suam mansuetudinem etiam ad animantia bruta extendant. Propterea et sapiens quispiam dixit: Justus miseretur animarum jumentorum suorum: si jumentorum, multo magis hominum. *(S. Jo. Chrys. in ep. ad Rom. c. 15.)*

Pastor nec nomen Pastoris meretur, si non personaliter attendat suo gregi. Non enim quilibet ovium Dominus, sed ille tantum, qui pascit suas vocatur. *(Quid. Auct.)*

Obligant se Episcopi ad exequendum pastorale officium propter subditorum salutem. Et ideo ubi subditorum salus exigit personae Pastoris praesentiam, non debet Pastor personaliter suum gregem deserere, neque propter aliquod commodum temporale, neque etiam propter aliquod personale periculum imminens, cum bonus Pastor animam suam ponere teneatur pro ovibus suis. Si vero subditorum saluti sufficienter in absentia Pastoris per alium provideri possit, tunc licet Pastori vel propter aliquod commodum Ecclesiae, vel personae periculum corporaliter gregem deserere. Unde Augustinus dicit in epistola ad Honoratum: Fugiant de civitate in civitatem Christi, quando eorum quisque a persecutoribus quaeritur, ut ab aliis qui non ita quaeruntur, non deseratur Ecclesia. Cum autem omnium est commune periculum, hi qui aliis indigent non deserantur ab his, quibus indigent. Si enim perniciosum est nautae in tranquillitate navem deserere, quanto magis in fluctibus? *(S. Th. q. 185. art. 5. et S. Nic. Pap.)*

Ego millies pro vobis immolari paratus sum: nec gratia mihi in hoc est, sed debitum reddo; bonus enim Pastor animam suam dat pro ovibus suis. *(S. Jo. Chr. hom. 13.)*

Bonus Pastor, et talis qualem Christus vult, cum innumeris componi potest martyribus: siquidem martyr semel

propter ipsum moritur, hic vero millies propter gregem. *(Idem. hom. 29. in ep. ad Rom.)*

Debemus pensare continuo quod sanctis Apostolis dicitur, et per Apostolos nobis: Vos estis sal terrae. Si ergo sal sumus, condire mentes fidelium debemus. Vos igitur qui Pastores estis, pensate quia Dei animalia pascitis, de quibus profecto animalibus Deo per Psalmistam dicitur: Animalia tua habitabunt in ea. *(S. Gr. P. hom. 17. in Luc. 10.)*

Quod christiani sumus, propter nos est: quod Praepositi sumus, propter vos. *(S. Aug. serm. de Past. Eccl. ap. Conc. Aquisg.)*

Integritas Praesidentium salus est subditorum. *(Conc. Tr. ses. 6. de Ref.)*

Praelatus sicut honore superat, ita morum virtute transcendat. *(S. Gr. P. in Past. 1. p. c. 12.)*

Praelatus curis perpetuis obtunditur, tum diurnis, tum nocturnis. *(S. Jo. Chr. hom. 3. in act.)*

Praelatus debet esse quasi forma existens discipulis *(S. Th. ad Tit. c. 2. l. 2.)*

Tantum debet actionem populi actio transcendere Praesulis, quantum distare solet a grege vita Pastoris. *(S. Gr. P. in Past. c. 1.)*

In Episcopali cervice nihil splendidius fulget quam humilitas. *(Dist. 100. cont. morem.)*

Episcopus ita humilitate pariter, et auctoritate præesse debet, ut neque per nimiam humilitatem suam subditorum vitia convalescere faciat, neque per immoderantiam severitatis potestatem exerceat, sed tanto cautius erga commissos sibi, quanto durius a Christo indagari formidat. *(S. Isid. l. 2. off.)*

Praecipuum Episcopi munus semper fuit, ut velut alter Timotheus sanae doctrinae depositum custodiat, catholicae fidei talentum inviolatum, illibatum conservet. *(S. Vinc. Com. c. 27.)*

Quum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, verbique divini praedicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in coetera munia pastoralia incumbere: quae omnia nequaquam ab iis praestari, et impleri possunt, qui gregi suo non invi-

gilant, nec assistunt: Sacrosancta Synodus eos admonet, et hortatur, ut divinorum praeceptorum memores, factique forma gregis in judicio, et veritate pascant, et regant. *(Conc. Trid. Sess. 23. c. 1. de Ref.)*

Haec duo sunt Pontificis opera, ut aut a Deo discat, legendo Scripturas divinas, et saepius meditando; aut populum doceat, sed illa doceat, quae ipse a Deo didicerit, non ex proprio corde, vel humano sensu, sed quae Spiritus Sanctus docet. *(Orig. hom. 6. in Lev.)*

Utilis est eruditio Pastoris, sed multo magis oratio necessaria, quippe quae sola docet scire de omnibus. *(S. Bern. l. 4. de Cons.)*

Tanta debet esse scientia, et eruditio Pontificis Dei, ut gressus ejus, et motus, et universa vocalia sint. Veritatem mente concipiat, et toto eam habitu resonet, et ornatu; ut quid agit, quidquid loquitur, sit doctrina populorum. *(S. Hier. ep. 228.)*

Si Episcopi tantum sancta sit vita, sibi soli prodest, sic vivens. Porro si et doctrina, et sermone fuerit eruditus, potest caeteros quoque instruere, et docere suos, et adversarios repercutere, qui nisi refutati fuerint, atque convicti facile possunt simplicium corda pervertere. *(S. Isid. l. 2. off. c. 5.)*

Ad hoc Speculatores, hoc est populorum Praepositi constituti sunt in Ecclesiis, ut non parcant, objurgando peccata. *(S. Aug. de Civ. Dei l. 1. c. 9.)*

Scabiosa ovis a caulis repellenda, ne tota pecora corrumpantur, putrescant, intereant. *(Dist. 24. q. 3. c. Resecandae)*

Propter ignaviam, et perniciosissimam Episcoporum, aliorumque Pastorum incuriam cuncta sunt haereticis, impiisque viris plena, qui errores disseminant, ac omnia Sacramenta execrantur, blasphemiisque deturpant: unde justa contra eos irascitur Deus per Malac. 2. Ecce ego projiciam vobis brachium seu armum, quod est robur dignitatis vestrae, et regiminis baculum; ac dispergam super vultum vestrum ventriculum solemnitatum vestrarum. *(Quid. Auct.)*

Advertant quicumque in Christi Ecclesia ad Pastoralis officii dignitatem assumpti, ad apostolicum praedicationis munus exercendum naturali, divino, et ecclesiastico jure ita esse constrictos, ut nisi id diligenter expleverint subituri sint damnationis supplicium. *(Sot. de just. et jur. l. 10. q. 1. a. 3.)*

In Praelatis praedicatio est debitum spirituale determinatum, et ideo reddendum est etiamsi non videatur profectus ex illo. *(Abul. in Matth. t. 5. f. 50. c. 1.)*

Episcopi est de praedicationis ministerio semper cogitare. *(S. Gr. P. l. 2. ep. 39.)*

Sacrosancta Synodus statuit, et decrevit omnes Episcopos, Archiepiscopos, Primates, et omnes alios Ecclesiarum Praelatos teneri per seipsos ad praedicandum Sanctum Jesu Christi Evangelium, si legitime impediti non fuerint. *(Conc. Tr. Sess. 5. c. 2.)*

Episcopo cathedra in Ecclesia sublimis erigitur, ut ex eo loco populum admoneat, doceat, arguat increpet: quod nisi fecerit, rationem Domino reddet, cur multi perierint, qui si vocem Pastoris audivissent, salvari omnino potuissent. *(V. Card. Bellar. 3. contr. de off. Ep.)*

Quid nos, o Pastores, agimus, qui et mercedem consequimur, et tamen operarii nequaquam sumus, fructus quippe Ecclesiae in stipendio quotidiano percipimus, et tamen pro Ecclesia minime in praedicatione laboramus? *(S. Gr. P. hom. 17. in Evang.)*

Ubi populus Pastoris sui incuria spiritualem famem coelestis doctrinae patitur, ibi est omnis pietatis, et religionis exterminium. *(S. Jo. Chr. hom. 45. in Jen.)*

Pastor es, vides oviculas Christi per praerupta pendere, nec revocas, nec clamore deterres. *(Orig. hom. 7. in Jos.)*

Episcopus qui negligentius circa Clerum vel populum agit, neque in pietate eos erudit, a comunione segregetur. Si vero in ea socordia perseveraverit, deponatur. *(Can. Apost. 57.)*

Scit Rex Assur, (idest diabolus) non posse se oves decipere, nisi Pastores ante consopierit. *(S. Hier. in Nahum. 3. 18.)*

Sacrosancta Synodus omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, et Cathedralibus Ecclesiis quibuscumque, quovis nomine, ac titulo Praefectos monet, ac monitos esse vult, ut attendentes sibi, et universo gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, vigilent, sicut Apostolus praecipit, in omnibus laborent, et ministerium suum impleant. Implere autem illud se nequaquam posse sciant, si greges sibi commissos mercenariorum more deserant, atque ovium suarum, quarum sanguis de eorum est manibus a Supremo Judice requirendus, custodiae minime incumbant: cum

certissimum sit non admitti Pastoris excusationem, si lupus comedit, et Pastor nescit. *(Conc. Tr. Sess. 6. c. 1. de Ref.)*

In Ecclesiis Pastoris nomen assumere non debet nisi possit docere quos pascit. *(S. Hier.)*

Pastori opus est bonitate ut attrahat, disciplina ut corripiat, scientia ut pascat: bonitas enim amabilem, disciplina imitabilem, scientia docibilem reddere debet. *(S. Bern. in Sent.)*

Nulli Episcopo liceat canones, aut librum pastoralem à S. Gregorio Papa editum, si fieri potest, ignorare, in quibus sese debet unusquisque quasi in quodam speculo assidue considerare. *(Conc. Tur. can. 3.)*

Monebunt Episcopi suos Clericos in quocumque Ordine fuerint, ut conversatione, sermone, et scientia commisso sibi Deo populo præeant. *(Idem. proem. Sess. 14. de Ref.)*

Maxima, et assidua in Episcopo erga Clericos Adolescentes in Seminario degentes debet esse sollicitudo, ut in pietate, et doctrina recte instituantur. *(Quid. Auct.)*

Satis compertum tot mala, quibus sancta Dei saepius divexatur Ecclesia, a pravis Ecclesiasticis ortum habere; quapropter serio attendant Episcopi, ne quibuscumque manus imponant, sed iis tantumodo qui vitae integritate, et doctrina futuri sint digni Dei Ministri, ac vera Ecclesiae Christi luminaria. *(Idem)*

Sciant Episcopi non singulos in ea aetate constitutos debere ad hos Ordines assumi, sed dignos dumtaxat, et quorum probata vita senectus sit. *(Conc. Tr. Sess. 23. c. 12. de Ref.)*

Imitari deberent Episcopi Sanctos Pontifices Romanos, qui in primordiis Ecclesiae parcissimi erant in Presbyteris ordinandis. Quot autem Presbyteros singuli Pontifices ordinaverint cognosci potest ex Anastasio Bibliothecario, qui vitas Pontificum fideliter descripsit, et ad finem semper addit, quot Episcopos, Presbyteros, et Diaconos unusquisque Pontifex ordinaverit. *(V. Card. Bellar. in 5. Contr. de Ord. Cler.)*

Parcitas certe tantorum Pontificum in ordinando deberet omnes Episcopos serio admonere, ut nonnisi viros doctos, et probos, et eo gradu dignos eligerent, quod omnino facient, si decorem domus Domini ex animo diligent. *(Idem)*

Virtutibus pollens coactus ad regimen veniat, virtutibus vacuus nec coactus accedat. Ille modis omnibus debet ad

exemplum vivendi pertrahi, qui cunctis carnis passionibus moriens jam spiritaliter vivit, qui prospera mundi postposuit, qui nulla adversa pertimescit, qui sola interna desiderat. Qui ad aliena cupienda non ducitur, sed propria largitur. Qui per pietatis viscera citius ad ignoscendum flectitur, sed nunquam plusquam deceat ignoscens, ab arce rectitudinis inclinatur. Qui nulla illicita perpetrat, sed perpetrata ab aliis ut propria deplorat. Qui ex affectu cordis alienae infirmitati compatitur, sicque in bonis proximi sicut in suis provectibus laetatur. Qui ita se imitabilem caeteris in cunctis quae agit insinuat, ut inter eos non habeat quod saltem de transactis erubescat. Qui sic studet vivere, ut proximorum quoque corda arentia doctrinae valeat fluentis irrigare. Qui orationis usu et experimento jam didicit, quod obtinere a Domino quae poposcerit, possit. *(S. Gr. P. in Past. c. 9. 10.)*

Convenit Pastoribus Ecclesiarum res Ecclesiae possidere, non ab his possideri; et ut Prosper scribit: eas possidendo debent contemnere, et non sibi, sed aliis possidere. *(Conc. Paris. 6. l. 2. c. 18.)*

Omnium rerum ecclesiasticarum curam Episcopus gerat, et eas dispenset, quasi inspectante Deo. Non licitum autem eis sit, quidquam sibi ex iis, tanquam proprium assumere, aut cognatis suis elargiri, quae Deo dedicata sunt. Quod si pauperes illi sint, ut pauperibus subministrent. *(Can. Apost. 37.)*

Non pascunt boni Pastores, ut comedant, sed comedunt, ut pascant. *(S. Bern. in illud. Ecce nos rel. om.)*

Qui hoc animo pascunt oves Christi, ut suas esse velint non Christi, se convincuntur amare non Christum, vel gloriandi, vel dominandi, vel acquirendi cupiditate, non obediendi, et subveniendi, et Dei placendi charitate. *(S. Aug. tr. 123. in Jo.)*

Gloria Episcopi est inopiae pauperum providere. *(S. Hier. ep. ad Nep.)*

Episcopi exuere non debent antiquam illam Ecclesiae pulchritudinem, quae in subsidio pauperum elucebat, nimirum quando Apostoli Diaconorum ministerio tam impense viduarum, orphanorum, indigentiumque curam gerebant. Neque vero debent prorsus de memoria delere, ecclesiasticos fructus spiritales esse, gratiamque divini cultus, et peculiariter in honorem Christi expensos, cui tam cordi fuit pauperes suae familiae commendare, ac potissi-

mum Pastoribus, quibus illam fidenter commisit. *(Quidam Auct.)*

Sancta Synodus non solum jubet, ut Episcopi modesta suppellectile, ac mensa, ac frugali victu contenti sint, verum etiam in reliquo genere vitae, ac tota eorum domo caveant, ne quid appareat, quod a sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum praeferat. *(Conc. Tr. Sess. 25. c. 1. de Ref.)*

In Episcopo hospitalitas ita erit praecipua; ut omnes cum benignitate, et charitate suscipiat. Si enim omnes fideles illud Evangelium audire desiderant: Hospes fui, et suscepistis me; quanto magis Episcopus, cujus diversorium cunctorum debet esse receptaculum. *(S. Isid. l. 2. Off.)*

Meminerint sese Pastores non percussores esse, atque ita præesse sibi subditis oportere, ut non in eis dominentur, sed illos tanquam filios, et fratres diligant, elaborentque, ut hortando, et monendo ab illicitis deterreant, ne ubi deliquerint, debitis eos poenis coercere cogantur. Quos autem siquid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli est ab eis servanda praeceptio, ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate, et patientia, cum saepe plus erga corrigendos agat benevolentia, quam austeritas, plus exhortatio, quam comminatio. Sin autem ob delicti gravitatem virga opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia judicium, cum lenitate severitas adhibenda est, ut sine asperitate disciplina populis salutaris, ac necessaria conservetur, et qui correcti fuerint emendentur, aut si resipiscere noluerint, caeteri salubri in eos animadversionis exemplo a vitiis deterreantur, cum sit diligentis, et pii Pastoris officium morbis ovium levia prius adhibere fomenta; post ubi morbi gravitas ita postulet ad acriora, et graviora remedia descendere: sin autem ne ea quidem proficiant illis submovendis, caeteras saltem oves a contagionis periculo liberare. *(Conc. Trid. Sess. 13. c. 1. de Ref.)*

Discite, Pastores, pauperes, servos, et ancillas non negligere, sed singularem curam eis impendere: sunt enim ipsi oves vestrae, atque animas tam nobiles habent, quam divites, eodemque pretio Sanguinis Christi redemptas. Unde a vobis easdem reposcet Deus in die judicii; nam propter eas a coelo descendit Christus, cujus est elogium ab Isaia praedictum, et celebratum: pauperes evangelizan-

tur. Tales Deus eligit. Sunt enim ipsi magis humiles, dociles, ductiles, ideoque gratiae, et salutis capaciores, quam divites. Nonne Deus, inquit S. Jacob. c. 2. 5. elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et haeredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se? *(Corn. a Lap. in ep. Paul. ad Philem.)*

Speculatores domus Israel, vineam custodite, vigilate super vigilias noctis, zelo zelamini pro Domino Deo exercituum, amplectentes eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem; et hortantes, monentes, obsecrantes in omni patientia, et doctrina, errantes in viam salutis deducite. *(Quid. Auct.)*

Munus Episcopi est vita laboriosissima, sed magnam habet remunerationem. *(Idem.)*

Mandat Sancta Synodus Pastoribus, et singulis animarum curam gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem, vel per se, vel per alios, ex iis, quae in Missa leguntur, aliquid exponant diebus praesertim dominicis, et festis. *(Conc. Tr. Sess. 22. de Sacr. Mis.)*

Tenetur Curatus sub mortali docere id, quod sub mortali tenetur scire populus. *(Suar. de Fid. disp. 13. sect. 6. n. 6.)*

Pastorale officium est docere populum. Quare profecto hujus muneris, ubi grandis est negligentia, peccatum est mortale. *(Sanch. in Dec. l. 2. c. 3.)*

In oppido, ubi silente Curato, omnes silent, sine dubio Curatus, nec per se, nec per alium praedicans, peccabit mortaliter, quia defuit in re gravi, cedente in grave populi incommodum. Neque hunc Curatum credo excusari conniventia Episcopi, cum de jure divino ad hoc teneatur. *(Vasq. in 3. p. d. 236.)*

Magnus est abusus eorum, qui contenti docuisse Symbolum latine, non explicant populo rudi mysteria fidei, praesertim Trinitatis, et Incarnationis, tantopere ad salutem necessaria. Vae Parochis! *(Em. Sa. V. Parochus)*

Negligentia magna Parochi in docendo ad salutem necessaria, mortalis est. *(Riccar. q. 1. a. 4.)*

Parochi aegrotos, etiam non vocati, invisant, ut ad Sacramentorum susceptionem inducant, et eorum animabus, quacumque ratione possunt, sollicite consulant. *(S. Car. Bor. in 1. Syn. Prov.)*

Parochus, si quos infirmos habet, frequenter visitet, et quoniam aliis parochialis curae officiis aliquando fortasse

detineri potest, propterea parochiae suae Sacerdotes, si quos habet, aut saltem laicos aliquos homines virtute praestantes deliget, qui aegrotum adeant ad Christianae pietatis officia praestanda. *(Conc. Agath. de vigil. et cur. infir.)*

Qui habet spiritualiter curam alicujus, debet eum quaerere ad hoc, ut corrigat de peccato. *(S. Th. 22. q. 33. art. 2.)*

Peccante Praelato totus populus inducitur ad peccandum. *(S. Ir. P.)*

Qua libertate Praeses Ecclesiae corripere peccata potest cum tacitus sibi ipsi respondet, eadem admisisse quae corripit? *(Dist. 25. c. 1.)*

Quomodo potest Praeses Ecclesiae auferre malum de medio ejus, qui in delicto simili corruerit? *(S. Hier. in ep. 2. ad Tim.)*

Aliis irascentibus datur venia, Praelato vero nequaquam: aliis peccantibus superest excusatio, ipsi vero minime. *(S. Jo. Chr. hom. in Acta)*

Praelatus si perversa perpetrat, tot mortibus dignus est, quot ad subditos perditionis exempla transmittit. *(S. Gr. P. in Past. 3. p.)*

Nos miseri quid dicturi sumus, qui ad Dominum post negotium vacui redimus? Qui Pastoris nomen habuimus, et oves quas ex nutrimento nostro debeamus ostendere, non habemus? Hic Pastores vocamur, et ibi gregem non adducimus. *(Id. hom. 17. in Evang.)*

Grex perditus factus est populus meus: Pastores eorum seduxerunt eos. *(Jer. 50. 10.)*

Vae Pastoribus qui disperdunt, et dilacerunt gregem pascuae meae. Vos dispersistis gregem meum, et ejecistis eos, et non visitastis eos. Ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum, dicit Dominus. *(Idem.)*

Vae Pastoribus Israel! Erraverunt greges mei in cunctis montibus, et non erat qui requireret: non erat, inquam qui requireret. *(Ezech. 34.)*

Fili hominis Speculatorem dedi te domui Israel . . . Si dicente me ad impium, morte morieris, non annuntiaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur a via sua impia, et vivat; ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. *(Idem.)*

Vae Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos: non greges a Pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, et lanis operiebamini, et quod crassum erat occidebatis, gregem

autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, et quod aegrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis, et quod abjectum non reduxistis, et quod perierat non quaesistis; sed cum austeritate imperabatis eis, et cum potentia, et dispersae sunt. Propterea Pastores audite verbum Domini. Haec dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse super Pastores requiram gregem meum de manu eorum, et cessare faciam eos ut ultra non pascant gregem, nec pascant amplius Pastores semetipsos, et liberabo gregem de ore eorum, et non erit ultra eis in escam. *(Idem.)*

—

O Deus Pater amantissime, cujus voluntas sanctificatio mea, memento hujus, quod suggerit Filius tuus: *si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis:* ecce nomen ejus, *Jesus*, qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem: ecce nomen, in quo oportet me salvum fieri: hic est Filius tuus dilectus: igitur, propter gloriam nominis ejus, propter ejus merita infiniti valoris, da mihi cor contritum, et humiliatum; da mihi charitatem, quae operit multitudinem, peccatorum; concede mihi, ut sim pastor juxta cor tuum, fidelis dispensator mysteriorum tuorum, ut sim mitis, et humilis, et quae placita sunt tibi faciam semper, ut cum timore, et tremore salutem meam, et ovium mihi concreditarum operer, ut inhabitem in domo tua omnibus diebus vitæ meæ. Domine Deus, dives in omnes, qui invocant te, supplex oro te, ut mihi gratiam largiaris, quas tu scis esse mihi magis necessarias ad majorem tui gloriam, ad salutem animæ meæ, et ad profectum mihi commissorum fidelium: ac tandem da, ut anima mea moriatur morte justorum, et misericordias tuas, una cum illis in æternum cantem.

CAPUT VIII.

Episcopus tenetur esse perfectus.

—

Communis quidem apud omnes S. Ecclesiae Patres, ac Scriptores doctrina est, majorem perfectionem requiri in Episcopis, quam in Religiosis. Semper enim agens prae-

stantius est patiente, in genere autem perfectionis Episcopi se habent ut perfectiores, Religiosi autem ut perfecti, quorum unum pertinet ad actionem, alterum autem ad passionem; unde manifestum est, quod status perfectionis potior est in Episcopis, quam in Religiosis. Quod ex Apostoli verbis ad Titum confirmatur: *In omnibus teipsum praebe exemplum bonorum operum:* et ex verbis Domini apud Matth. 5. *Vos estis sal terrae, et lux mundi.* Haec igitur est veritas, sed non omnes capiunt verbum istud. Religiosi sunt in statu perfectionis acquirendae, quia faciunt tria vota; paupertatis, contra affectum divitiarum; castitatis, contra concupiscentiam carnis; obedientiae, contra superbiam vitae. Episcopus igitur, qui est in statu perfectionis adeptae, tenetur esse perfectus, idest ardentissima charitate Dei, et proximi praeditus, ita ut divitias Ecclesiae suae non suas esse existimet, et non habeat ad possidendum tanquam proprias, sed ad dispensandum ut alienas: gloria enim Episcopi, ut recte ait S. Hieronymus, est inopiae pauperum providere. Convenit Pastoribus Ecclesiarum res Ecclesiae possidere, non ab his possideri; atque eas possidendo debent contemnere, et non sibi, sed aliis possidere. Item tenetur esse perfectus in charitate Dei, et proximi, circa castitatem, ut Angelica puritate Deo ministret, et viros, ac mulieres, quibus præest, vere diligat, ut filios, et filias, et nullam unquam suspicionem incontinentiae illis tribuat, proinde non habere domi personam ullam, vel ob adolescentiam, vel ob ornatum, ad quam carnali affectione propensus credatur: foris autem cum nulla unquam muliere sine testibus loquatur, atque id potissimum erga sanctimoniales observet; incredibile enim est, quam contemptibilis reddatur Episcopus, si aut verbis, aut factis ullum signum incontinentiae dederit. Denique perfectus esse debet circa humilitatem, et obedientiam Dei, et superiorum mandata, ac praecipue erga illud a S. Joanne Evangelista in 1. epistola promulgatum: *Debemus pro fratribus animas ponere,* ac multo magis, divitias, quietem, delicias, et comoda omnia. Quemadmodum autem haec perfectio acquiri possit, egregie docet Sanctus Gregorius in libro de cura pastorali parte secunda. Sed quamvis tota illa pars legenda sit cupienti ad vitae perfectionem pervenire, tamen in primis duae sententiae considerandae esse videntur, una, quae docet, quanta perfectio in Pastore requiratur, altera, quae paucis exponit, quibus in re-

bus illa perfectio posita sit. De priore sententia sic loquitur Sanctus Gregorius. *Tantum debet actionem populi actio transcendere Praesulis, quantum distare solet a grege vita Pastoris.* Ex hac Gregorii sententia aperte colligitur, tanto sapientiorem, et sanctiorem esse debere Episcopum, si comparetur ad homines suae curae subjectos, quanto sapientior, et sanctior est homo pecudibus: pecudes certe cum ratione careant, omnia sensibus metiuntur, ac per hoc sapientiae, et sanctitatis omnino expertes sunt: homines ad imaginem Dei creati, sapientiae, et sanctitatis capaces inveniuntur. Proinde discrimen inter homines, et pecora, quod ad sapientiam, et sanctitatem attinet, propemodum infinitum dici potest. Cogitet igitur Episcopus futurus, quanta in eo sanctitatis, et sapientiae eminentia esse debeat, cum ad ejus comparationem homines illi subjecti, non homines ratione praediti, sed oves rationis expertes dici posse videantur. Haec si apud se diligenter perpenderent, qui ad Episcopatum aspirant, fortasse non solum non quaererent sedem illam horroris plenam, sed vix compulsi, et coacti illam conscenderent. Ad alteram veniamus S. Gregorii sententiam, quae non metaphorica, sed propria, non obscura, sed clarissima est. *Sit Praesul singulis compassione proximus, prae cunctis contemplatione suspensus.* Haec sententia id proprie significare videtur, debere Episcopum perfectionem vitae activae, et contemplativae simul conjunctam verissime possidere, cum tamen constet, perfectionem vitae activae, quae in charitate perfecta erga proximos posita est, paucorum esse, perfectionem vitae contemplativae, quae posita est in charitate perfecta erga Deum, adhuc pauciorum. Cogitet igitur, et recogitet diligenter Episcopus, quanta res sit ea perfectio vitae, quae necessaria Episcopis est, cum ad apicem perfectionis activae simul, et contemplativae pervenire debeat. Hanc vitae sublimitatem exemplo suo Christus docuit, cum totos dies consumeret in charitate proximorum, docendo, exhortando, excitando, increpando, et noctes totas consumeret in charitate Dei, orando, contemplando, laudando, magnificando Deum. Hanc eandem Apostoli exemplo suo docuerunt, cum assidue praedicationi, et orationi intenti essent. Hanc denique Episcopi, Apostolorum successores, imitari, et assequi totis viribus debent; si quibus succedunt in officio pastorali, eorum consortes inveniri cu-

piunt in aeterna felicitate. Haec perfectio excludit ludos, venationes, lectionem librorum vanorum, occupationes temporales, et alia id genus omnia; proinde munus Episcopi est vita laboriosissima, sed magnam habet remunerationem. *(V. C. R. B.)*

CAPUT IX.

De necessaria Dei vocatione

Ego elegi vos, et separavi vos a caeteris populis ut essetis mei. *(Lev. 20.)*

Aaron, et filios ejus constitues super cultum Sacerdotii; externus, qui ad ministrandum accesserit, morietur. *(Num. 10. 3.)*

Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis. *(Jo. 15.)*

Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. *(Id. 6.)*

Qui non intrat per ostium sed aliunde ille fur est, et latro. *(Id. 10.)*

Nemo sibi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron: sic et Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret. *(Hebr. 5.)*

Ostende quem elegeris ex his duobus. *(Act. 1. 24.)*

Collabora Evangelio secundum virtutem Dei, qui nos liberavit, et vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, et gratiam, quae data est nobis in Christo Jesu. *(2. Tim. 7.)*

Magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, et electionem faciatis. *(2. Petr. 10.)*

Memores perpetuo estote vocationis, qua nos dignatus est Dominus noster. *(S. Car. Bor. in Syn. Prov. 4. p. 3. c. 7.)*

Illos, quos Deus ad aliquid eligit ita praeparat, ut ad id quod eliguntur, inveniantur idonei. *(S. Th. in 2. ad Cor. c. 3. l. 2.)*

Quandocumque divina gratia eligit aliquem ad aliquam gratiam singularem, seu ad aliquem sublimen statum, omnia charismata donat, quae illi personae sic electae, et ejus officio necessaria sunt. *(S. Bern. serm. 1. de S. Jos.)*

Obstupesco ad ea, quae soliti sunt quidam insipientium

audere, qui impudenter, ac temere sese conantur ingerere ad munus Sacerdotii assumendum, licet non adsciti a gratia Dei, ignorantes miseri, quod ignem, et mortem sibi accumulent. *(S. Eph. de Sacerd.)*

Quis est tam impudens, et audax, qui a Deo non vocatus ad Sanctuarium accedat? Infelix Domini exprobrantis verba meminerit: Qui non intrat per ostium, sed aliunde, ille fur est, et latro. *(Quid. Auct.)*

Illi autem ostio in Ecclesiam introire merito dicuntur, qui a Deo legitime vocati Ecclesiastica munera ejus unius rei causa suscipiunt, ut Dei honori inserviant. *(Cat. Rom. de Sac. Ord.)*

Vocari autem a Deo dicuntur, qui a legitimis Ecclesiae Ministris vocantur. Nam qui in hoc ministerium seipsos arroganter inferunt, atque intrudunt, de his Dominum intellexisse docendum est, cum inquit: *Non mittebam Prophetas, et ipsi currebant;* quo quidem hominum genere nihil infelicius, ac miserius, nihil Ecclesiae Dei calamitosius esse potest. *(Idem de Sac. Ord.)*

Sunt non pauci, qui nequaquam vocati, sed cupidine accensi temere audent ad sublimem Sacerdotii Ordinem ascendere. *(Quid. Auct)*

Humana cupiditate praeponderante, non gratia Dei: voluntaria oblatione, ac propria assumptione, non coelesti vocatione. *(S. Ambr. l. 10. ep. 82.)*

Ex appetitu quietis, et dignitatis. *(Hugo. Card. in 1. Tim. 3)*

Praesumptione superbi spiritus non datum a Deo munus invadentes. *(S. Aug. Ser. 98. de temp.)*

Odorem turpis lucris sectantes. *(S. Bern. declam.)*

Deformes, et ad saecularia negotia inepti. *(Conc. Burdig. a. 1624.)*

Consideremus an vocati veniamus, et vocati a Deo in honorem Cleri. *(Quid. Auct.)*

Ita est aliquis sacrilegae temeritatis, ac perditae mentis, ut putet sine Dei judicio fieri Sacerdotem. *(S. Cypr. ep. 55. ad Corn.)*

Ne non vocati Sancta Dei vocatione; sed potius Satanae dolis decepti, praetextu devotionis, et pietatis; inordinate rem sacram, et divinum munus appetentes, Clericalem caracterem, aliosque ordines temere suscipiamus. *(Sixtus P. V. in Bulla cont. Cler. mal. prom. a. 1588.)*

Horreo fateor, considerans unde, et quo vocaris, prae-

sertim cum nullum intercurrerit poenitentiae tempus, per quod utcumque hujuscemodi periculosissimus transitus fiat. Et quidem rectus ordo requirit, ut prius propriam deinde alienas curare studeas conscientias. *(S. Bern. ep. 1. ad Brun.)*

Quid istud temeritatis, imo quid insaniae; undo ambitionis imprudentia tanta? unde vesania tanta praesumptionis humanae? Ubi timor Dei? Ubi mortis memoria? *(Id. decl. c. 5.)*

Cave praesertim ne te Satanas decipiat, tibi ex industria suadendo ut Presbyteratus bonum quidem opus ambias; sed turpis lucri gratia, otii cupidine, dignitatis, et sublimitatis appetitu. Propter hoc enim multi sanctuarium ingrediuntur, sed ad suam perniciem labuntur. *(Quid. Auct.)*

Pave ad Sanctuarium Domini, quantumlibet mundus sis, si non vocatus accedas, temere accedas, temere accedis: Ozae crimen incurris, ejusque damnationi te exponis. *(Idem)*

Non Apostoli Dominum elegerunt, sed Ille elegit eos, et posuit, ut fructum afferrent. *(Idem)*

Christi sunt oves, ejusque est ovile: Ipse est ostiarius, ejusque est aperire. Ille solus cui aperuerit, recte ingredietur, secure egredictur, et pascua inveniet; qui vero aliunde quam per Eum introierit, ille fur de latro erit; et sibi et ovibus ejus nocebit. *(Idem)*

Christus admittit idoneum, et habilem, et ei, qui talis non est, aditum intercludit. *(S. Cyrillus l. 6. in Jo. de Sacerd.)*

Quod pertulerunt superbi illi Levitae, qui Domino non jubente Sacerdotium sibi vindicabant hoc patientur quicumque in Episcopatus, aut Presbyteratus vel Diaconatus officium impudenter conantur se ingerere; quomodo combusti sunt illi in corpore, isti exurentur in corde. *(S. Aug. ser. de temp.)*

Consideremus et nos an vocati venerimus, et an vocati a Deo; a quo nimirum haec vocatio est. *(S. Bern. decl.)*

Considera te de paucis, et electis effectum, et ne exemplo, ac tepore multitudinis refrigescas: sed vive ut pauci, ut cum paucis inveniri merearis in regno Dei. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi; et pusillus est grex, cui complacuit Patri haereditatem dare. *(Cassiod. l. 4. de Inst. Ren. c. 38.)*

Domine virtutum, quam dilecta tabernacula tua! Deus meus, concupiscit, et deficit anima mea in atria tua. O quam bonum, et quam jucundum est hostiam sanctam tibi in tabernaculo tuo immolare: cantare, et psallere tibi! Quam bonum est enarrare justitias tuas, et praedicare poenitentiam in remissionem peccatorum! Quam bonum est docere gentes, et baptizare, daemones ejicere, infirmos curare, servos tuos, et ancillas tuas multiplicare, erudire, perficere, sanctificare! Quis mihi det, Deus meus, ut sic possim tibi universum mundum subjicere, et efficere ut omnis terra adoret te, et psallat tibi: ut omnis creatura tibi serviat? Velle tibi in Sacerdotio deservire, vehementer exopto: perficere autem non inveniam, nisi tu dixeris, invitaveris, et praeceperis. Dignare ergo mihi voluntatem tuam notam facere: Deus meus, ostende mihi, utrum me elegeris.

CAPUT X.

De Ordinatione Clericorum

Fatendum quidem est plurimos in magno errore versari, existimantes, multiplicandum esse Clerum, et ideo sine magno delectu manus imponunt. Quisquis autem exoptare debet, ut multi Clericatu digni inveniantur, sed indignos promovere est Ecclesiam evertere. Ideo B. Apostolus clamat: *Nemini cito manus imposueris 1. Tim. 5.* Et Concilium Tridentinum Sess. 23. c. 16. de Refor. jubet, ut nullus ordinetur ad titulum patrimonii, nisi pro necessitate, vel utilitate Ecclesiae. Sic enim habet: *Cum nullus debeat ordinari, qui judicio sui Episcopi non sit utilis, aut necessarius suis Ecclesiis, S. Synodus vestigiis Sexti Canonis Concilii Chalcedonensis inhaerendo statuit, ut nullus in posterum ordinetur, qui illi Ecclesiae, aut pio loco, pro cujus necessitate assumitur, aut utilitate, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus.* Proinde maximus est abusus ordinare quoslibet ad titulum patrimonii. Plurimi enim ordinari cupiunt pro sua utilitate, non Ecclesiae, et de celebratione Missae faciunt artem de pane lucrando. Unde Sacerdotium contemptibile redditur, et Ecclesia scandalis patet.

Imitari deberent Episcopi Sanctos Pontifices Romanos, qui in Ecclesiae primordiis parcissimi erant in Presbyteris ordinandis. Quot autem Presbyteros singuli Pontifices ordinaverint ex Anastasio Bibliothecario cognosci potest, qui vitas Pontificum fideliter descripsit, et ad finem semper addit, quot Episcopos, Presbyteros, et Diaconos unusquisque Pontifex ordinaverit. Fuisse autem Romanam Ecclesiam etiam inter persecutores amplissimam, et numerosissimam, testantur auctores duo gravissimi, et antiquissimi; Sanctus Cornelius Papa, et Martyr, et Sanctus Irenaeus Episcopus, et Martyr. Sanctus Cornelius epistolam scripsit ad Fabium Episcopum Antiochenum, quae extat apud Eusebium Caesariensem in historia ecclesiastica. In ea epistola scribit, in urbe Roma fuisse tunc innumerabilem Christiani populi frequentiam; et ex redditibus Ecclesiae sustentari solitos supra mille quingentos pauperes, et aegrotos, et Clerum fuisse numerosissimum, videlicet Presbyteros quadraginta sex, Diaconos septem, Acolythos quadraginta duos. Sanctus Irenaeus centum fere annis Sancto Cornelio antiquior, libro tertio contra haereses, Romanam Ecclesiam dicit tempore suo fuisse maximam, et antiquissimam, et omnibus notam. Videamus ergo in hac maxima, et numerosissima Ecclesia, quam parci fuerint Pontifices in Presbyteris ordinandis. Sanctus Linus sancti Petri successor, ordinavit Presbyteros decem et octo; toto sui Pontificatus tempore, quod fuit annorum quindecim. Sanctus Clemens sedit annos novem, ordinavit Presbyteros decem, Diaconos undecim. Sanctus Anacletus sedit annos novem, ordinavit Presbyteros quinque, Diaconos tres. Sanctus Evaristus sedit annos tredecim, et amplius, ordinavit Presbyteros sex, Diaconos duos. Sanctus Alexander sedit annos octo, menses quinque, ordinavit Presbyteros sex, Diaconos duos. Sanctus Sixtus sedit annos decem, et amplius, ordinavit Presbyteros undecim, Diaconos quatuor. Sanctus Telesphorus sedit annos undecim, et amplius, ordinavit Presbyteros duodecim, Diaconos octo. Sanctus Hyginus sedit annos quatuor, ordinavit Presbyteros quindecim, Diaconos quinque. Sanctus Anicetus sedit annos novem, et amplius, ordinavit Presbyteros septemdecim, Diaconos quatuor. Sanctus Pius sedit annos novem, menses sex, ordinavit Presbyteros decem, et octo, Diaconos viginti. Sanctus Soter sedit annos novem et amplius, ordinavit Presbyteros octo, Diaconos novem. San-

ctus Eleutherus sedit annos quindecim, ordinavit Presbyteros duodecim, Diaconos octo. Sanctus Victor sedit annos decem, ordinavit Presbyteros quatuor, Diaconos septem. Sanctus Zephirinus sedit annos septemdecim, ordinavit Presbyteros novem, Diaconos septem. Nolo ulterius progredi; descripsi enim ordinationes Presbyterorum, et Diaconorum Romae factas per annos circiter ducentos a Pontificibus quindecim, quorum nullus excessit numerum Presbyterorum decem et octo, etiamsi diu vixerit, et multas ordinationes celebraverit. Haec certe parcitas tantorum Pontificum deberet omnes Episcopos serio admonere, ut nonnisi viros doctos, et probos, et eo gradu dignos eligerent, quod omnino facient, si decorem domus Domini ex animo diligent: et ut vinea Domini ex illius praecepto rite semper colatur, multaque messis in ejus horreum reportetur, multis operariis opus est, quorum tamen non tam numerus, quam virtus spectanda est. Paucos enim idoneos, et probatos habere satius est, quam multos inutiles, atque adeo ipso vitae genere perniciosos. *(V. C. R. B.)*

—

Domine Jesu, spirituum ponderator, et cordium scrutator, qui suaviter omnia disponens, ad te semper vocasti, quos voluisti, et qui a fine usque ad finem fortiter attingens, suscitas tibi Sacerdotes fideles, e Pastores juxta cor tuum, quandoquidem ex legitima, et vera Clericorum vocatione pendeat Cleri, populique sanctitas, et salus aeterna, ne permittas intrare in sanctuarium tuum, et in ovile ovium vocatos a carne, et sanguine, mercenarios, latrones, luposque rapaces; sed solum dignos, et fideles a te missos, et electos, quique sic a te vocati, et electi fiducialiter dicere possint: Domini est assumptio nostra, et sancti israel regis nostri. Hoc nostrum, hoc omnium piorum est votum, cui fave, et coelitus adspira.

CAPUT XI.

De necessaria, ac seria eorum probatione, qui sunt ad Sacros Ordines promovendi

—

Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco

sancto ejus? Innocens manibus, et mundo corde. *(Ps. 23.)*

Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion. *(Is. 40. 9.)*

Loquere ad Aaron: Homo de semine tuo per familias qui habuerit maculam, non offeret panes Domino Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus: Si coecus fuerit, si claudus, si vel parvo, vel grandi et torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel herniosus. Omnis qui habuerit maculam de semine Aaron Sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino, nec panes Deo suo. *(Lev. 21.) (Vid. expt. S. Gr. P. in Past. c. 11.)*

Omnis homo qui accesserit de stirpe vestra ad ea quae consecrata sunt, et quae obtulerunt filii Israel Domino, in quo est immunditia; peribit coram Domino. Homo de semine Aaron, qui fuerit leprosus, aut patiens fluxum seminis, non vescetur de his, quae sanctificata sunt mihi, donec sanetur. *(Lev. 21.)*

Considerate, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto, et sapientia; quos constituamus super hoc opus. Et placuit sermo coram omni multitudine. Et elegerunt Stephanum virum plenum fide, et Spiritu Sancto, et Philippum, et Prochorum, et Nicanorem, et Thimonem, et Parmenam, et Nicolaum advenam Antiochenum. Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, et orantes imposuerunt eis manus. *(Act. Ap. c. 6.)*

Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis. *(ep. ad Tim. 5.)*

Nemini cito manus imposueris, inquit Apostolus. Quid est cito manus imponere? Nisi ante aetatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinae, Sacerdotalem honorem non probatis tribuere. *(S. Leo P. ep. 87.)*

Nemini cito manus imposueris. Quid sibi vult? Non ex prima statim probatione, nec secunda, nec tertia, sed ubi consideratio diuturna praecessit, exactissimaque discussio, tunc imponito manus. Neque enim ea res periculo caret: eorum enim quae ille peccaverit, tu quoque poenam dabis, qui initium dedisti etiam praecedentium delictorum. Qui enim improbe prima remisisti etiam futuris obnoxius, quod ipse quasi extiteris praeteritorum. *(S. Jo. Chr. in ep. 1. ad Tim. hom. 16.)*

Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris

peccatis alienis: alienis peccatis communicare convincitur quisquis indignum, et improbum ad regimen provehere non veretur. *(S. Petr. Dam.)*

Peccatum alienum fit nostrum, cum arma peccati subministramus illi, dando officia, beneficia, ordines, et alia, quibus abutatur, ei concedimus, qui propter imperitiam, et indignitatem in varios errores, ac defectus incidet. *(Quid. Auct.)*

Vide, ne quem temere ordines, sed unumquemque prius proba, et examina, an probatae sit vitae, et doctrinae, talique gradu dignus; alioquin particeps fies peccatorum, et scandalorum, tum eorum, quae ante Ordinationem admisit, quia propter ea Ordinatione est indignus: si ergo eum ordinas, tali gradu dignum esse judicas, et consequenter videris eum, ejusque mores, ac peccata approbare; itaque eorundem particeps efficieris. *(Corn. a Lap. sup. verb. Nem. cit. man. imp.)*

Si inordinate promoveas, et ex hoc contingat peccatum eis, vel in plebe, hoc tibi imputabitur. *(S. Th. sup. verb. Pauli ad Tim. Manuscito nem. imp.)*

Deus nunquam ita deserit suam Ecclesiam; quin inveniantur idonei Ministri sufficienter ad necessitatem plebis, si digni promoverentur, et indigni repellerentur; et si non possent tot Ministri inveniri quot modo sunt, melius esset paucos habere Ministros bonos, quam multos malos, ut dicit Beatus Clemens. Ad minus hoc requiritur, quod nesciat aliquid contrarium sanctitati in ordinando esse: sed etiam exigitur amplius, ut secundum mensuram ordinis, vel officii injungendi diligentior cura apponatur, ut habeatur certitudo de qualitate promovendorum, saltem ex testimonio aliorum, et hoc est, quod Apostolus dicit 1. ad Timotheum 5. Manus cito nemini imposueris. *(S. Th. in 4. dist. 24. q. 1.)*

Deprecatus sum pro te Dominum, remisitque ille tibi peccata, ut non solum hoc a te expetendum, et a te postulandum supersit, quibus adversus Apostolicam legem manus te nere imposueris. *(S. Petr. Gr. Apost. ad S. Leon. P. Baron. Annal. 461.)*

Dilatata videtur Ecclesia. Ipse enim Cleri sacratissimus Ordo, Fratrum numerus supra numerum multiplicatus est. Verum etsi multiplicasti gentem, Domine, non magnificasti laetitiam: dum nihil minus apparet, decessisse meriti,

quam numeri accessisse. *(S. Bern. de Convers. ad Cler. c. 29.)*

Curritur passim ad Sacros Ordines, et reverenda ipsis Angelicis Spiritibus ministeria homines apprehendunt sine reverentia, sine consideratione. *(S. Bern. de Conv. ad Cler. c. 29.)*

Curritur in Clero passim ab omni aetate, et ordine a doctis, et indoctis ad Ecclesiasticas curas; tanquam sine curis jam quisque victurus sit, cum ad curas pervenerit. *(S. Bern. ep. Henr. Senon.)*

Heri sacrilegi, hodie Sacerdotes: heri profani, hodie Sacrorum Antistites: veteres vitio, pietate rudes, et recentes; discipuli simul, magistrique pietatis creantur. *(S. Gr. Nazian. Orat. 21.)*

Heri in Amphitheatro, hodie in Ecclesia, vespere in Circo, mane in Altari. *(S. Hier. ep. 33. ad Ocean.)*

Uno die sanctos fingimus, eosque sapientes, et eruditos esse jubemus, qui nihil didicerunt, nec ad Sacerdotium quidquam prius contulerunt, praeter velle. *(S. Ephr. or. 20.)*

Quamvis omnium peccatorum sint contagione mundati, nulla debent gerendorum Sacramentorum instrumenta suscipere, qui dudum vasa fuerunt vitiorum. *(S. Siric. P. ep. ad Him Tarr.)*

Purgari prius, deinde purgare: sapientia instrui, atque ita demum sapientia instruere alios: lux fieri et dies illuminare; ad Deum appropinquare, et ita alios deducere: sanctificari et postea sanctificare. *(S. Gr. Naz. Or. 1.)*

Non eo tantum tempore quo ordinandus est sine crimine sit, et praeteritas labes nova conversatione diluerit: sed ex eo tempore quo in Christo renatus nulla peccati conscientia remordeatur. *(S. Hier. c. 1. ep. ad Tim.)*

Longa debet vitam suam probatione monstrare, cui gubernacula committuntur Ecclesiae. *(S. Hormis. Pap. ep. ad Episc. Hisp.)*

Merita debent praeire bonorum operum, ut dignus quis habeatur ad Ordinationem. *(S. Ambros.)*

Sicut caput Ecclesiae Christus, Christi autem Vicarii Sacerdotes; sic et in eligendis his curam oportet esse praecipuam. Irreprehensibiles enim esse convenit, quos praeesse necesse est corrigendis: nec quidquam illi deesse personae, penes quam est Religionis summa substantia disciplinae. *(S. Horm. P. ep. 25.)*

Tales oportet esse matura aetate provectos, et qui temporis prolixitudine evaserint multarum rerum cognitione periti, quique ab ipsa primum efflorescente canitie exhibuerint morum constantiam. *(S. Basil. com. in c. 3. Is.)*

Ad Sacros Ordines aspirare nisi provectiores aetate, et mundos opere nullatenus permittatis. Eorum, qui in Sacro sunt Ordine collocandi, prius vitam, moresque discutite. *(S. Gr. P. ep. 48. l. 2.)*

Tales ad Ministerium eligantur Clerici, qui digne possint Dominica Sacramenta tractare. Melius est enim Domini Sacerdoti paucos habere Ministros, qui possint digne opus Dei exercere, quam multos inutiles, qui onus grave Ordinatori adducant. *(S. Clem. P. ep. 2. refertur dist 23. c. talem.)*

Divinos Ordines largiri oportet districti semper esse judicii: rarum enim est omne quod magnum est. *(S. Zosim. P. ep. 1. refertur dist. 59. c. si Officii)*

Quisquis Sacerdotium non ad elationis pompam, sed ad utilitatem adipisci desiderat, prius vires suas cum hoc quod subiturus est, onere metiatur, ut si impar est, abstineat; et ad id cum metu, etiam qui sufficere existimat, accedat. *(S. Gr. P. in Past.)*

Ante, juxta consilium Salvatoris, sedisse debuimus, ante aestimasse opus, metiri vires, sumptus computasse virtutum. *(S· Isid. Aquisgr. c. 15.)*

Sicut Neophitus tunc vacabatur, qui adhuc noviter erat plantatus in fide: ita nunc inter Neophytos deputamus qui adhuc novus est in sancta conversione. *(Idem. l. 4. ep. 51)*

Non accedat ad offerendum homo claudus, id est qui ad perfecte incedendum parum firmus est. *(S. Cyril. l. de Sacerd.)*

Ante tempus examinis ante meritum laboris, ante experientiam disciplinae, *(S. Leo P. ep. 18.)*

Ordinis occasio debet esse Christi charitas, et animae salus. *(Petr. Bles. ep. 123.)*

Ille modis omnibus debet ad exemplum vivendi pertrahi, qui cunctis carnis passionibus moriens jam spiritaliter vivit, qui rospera mundi postposuit, qui nulla adversa pertimescit, qui sola interna desiderat. *(S. Gr. P. in Past. c. 10.)*

Ne qui ordinati sunt pereant, provideri debet quales ordinentur; ut prius aspiciatur si vita illorum in annis plurimis continens fuerit. *(S. Greg. P. l. 4. ep. 26. ad Jun.)*

Ex inordinata, et indisciplinata multitudine Sacerdotum,

hodie datur ostentui nostrae Redemptionis venerabile Sacramentum. *(Petr. Bles. ep. 123. ad Ric. Ep. Lond.)*

Sunt qui perversam agunt conscientiam, ac plurimos pravis operibus sandalizant, et tamen volunt temere se ingerere in Sanctuarium Dei, hi a Sacrorum Ordinum susceptione omnino rejiciendi sunt. *(Quid. Auct.)*

Meministis, filii, quemdam amicum cum sedulis se videretur commendare officiis, hoc solo tamen a me non receptum, quod gestus illius plurimum dedeceret. *(S. Ambr. l. 1. de Offic.)*

Litigiosus prohibetur ordinari, qui sua potestate discordantes ad concordiam debet attrahere, qui oblationes dissidentium prohibetur recipere, nequaquam litigandi facilitate debet alios ad dissidium provocare. *(Dist. 40.)*

Quid sibi vult, quod Clerici aliud esse, aliud videri volunt? Nempe habitu milites, quaestu Clericos, actu neutrum exhibent. Nam neque pugnant ut milites, neque ut Clerici evangelizant. Cujus Ordinis sunt? Cum utriusque esse cupiunt, utrumque confundunt. Vereor istos, non alibi ordinandos, quam ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. *(S. Bern. l. 3. de Cons. c. 5.)*

Quo affectu, ac proposito accedant Ordinandi, videndum, accurateque investigandum. Num videlicet Dei causa tantum, an potius suae commoditatis gratia, quaerentes quae sunt, non quae Jesu Christi? Quid est enim sua quaerere, et non quae Jesu Christi sunt, nisi cum tales non gratis Deum diligunt, non Deum propter Deum quaerunt temporalia commoda sequentes, lucris inhiantes, et honores expetentes? Quisquis ergo talis est, non ovili Christi idoneus Pastor futurus, sed mercenarius est. *(Conc. Colon. 1. p. 1. c. 91.)*

Ut vinea Domini ex illius praecepto rite semper colatur, multaque messis in ejus horreum reportetur, multis operariis opus est, quorum tamen non tam numerus, quam virtus spectanda est. Paucos enim idoneos, et probatos habere satius est, quam multos inutiles, atque adeo ipso vitae genere perniciosos. *(Conc. Burdigal. a. 1583.)*

Cum sit ars artium regimen animarum, districte praecipimus, ut Episcopi promovendos in Sacerdotes diligenter instruant, et informent, vel seipsos vel per alios viros idoneos super divinis officiis, et ecclesiasticis Sacramentis qualiter ea rite valeant celebrare: quoniam si ignaros, et rudes de caetero ordinare praesumpserint, quod quidem

facile poterit deprehendi, et ordinatores, et ordinatos gravi decernimus subjacere ultioni. Satius est enim maxime in ordinatione Sacerdotum, paucos bonos, quam multos malos habere, Ministros: quia si coecus coecum duxerit ambo in foveam cadunt. *(Conc. Lat. 4. Can. 27. c. Cum sit)*

Sciant autem Episcopi non singulos in ea aetate constitutos debere ad hos Ordines assumi, sed dignos dumtaxat, et quorum probata vita senectus sit. *(Conc. Trid. Sess. 22. c. 12. de Ref.)*

Hujus tanti Officii munus nemini temere imponendum est, sed iis tantum, qui illud vitae sanctitate, doctrina, fide, prudentia sustinere possit. *(Cat. Rom. de Sac. Ord.)*.

Christus admittit idoneum, et habilem, et ei, qui tal s non est, aditum intercludit. *(S. Cyril. l. 6. in Jo. de Sacerd.)*

Nullus laicus ad quemlibet gradum Ecclesiasticum repente promoveatur, nisi post mutatum habitum saecularem diuturna conversatione inter Clericos fuerit comprobatus. *(Conc. Rom. a. 1059.)*.

Casum appetunt qui ad summa loci fastigia, postpositis gradibus, per abrupta quaerunt ascensum. *(S. Greg. P. ep. ad Siag.)*

Prudenter divinitus factum est, ut per tot gradus ad Sacerdotium ascenderent Ecclesiae Ministri, in quibus si punctatim servatis temporum interstitiis consisterent promoti, exercitiis Ordinum proxime susceptorum sedulo vacantes, Angelicae profecto vitae viros Ecclesiasticos habere. *(Conc. Burdig. a. 1624.)*

Serventur tempora a Majoribus constituta. Nec cito quilibet Lector, cito Acolytus, cito Diaconus, cito Sacerdos fiat; quia in minoribus officiis si diu perdurent, et vita eorum pariter, et obsequia comprobantur, ut ad Sacerdotium postea emensis stipendiorum meritis veniant nec praeripiant, quod vita probata meretur accipere. *(Innoc. P. I. ad Felic. Nuc. Ep.)*

Maximus est abusus ordinare quoslibet ad titulum patrimonii. Plurimi enim ordinari cupiunt pro utilitate sua non Ecclesiae, et de celebratione Missae faciunt artem de pane lucrando. Unde Sacerdotium contemptibile redditur, et Ecclesia scandalis patet. *(V. Card. Bellarm. 5. controv. de Or. Cler.)*

Clericali Tonsura nullus initietur, nisi eodem tempore Ecclesiae illi adscribatur, pro cujus servitio debet ordinari. *(Conc. Rom. tit. 6. c. 2. a. 1725.)*

Cum nullus debeat ordinari, qui judicio sui Episcopi non sit utilis, aut necessarius suis Ecclesiis; Sancta Synodus vestigiis VI. Canonis Concilii Calcedonensis inhaerendo, statuit, ut nullus in posterum ordinetur, qui illi Ecclesiae, aut pio loco, pro cujus necessitate, aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus. *(Conc. Tr. Sess. 23. c. 16. de Ref.)*

Ordinationes Presbyterorum, Levitarumque tempore congruo, multis adstantibus, solemniter agant, et probabiles, ac doctos viros ad hoc opus provehite, ut de eorum societate, et adjumento plurimum gaudeatis. *(S. Zeph. P. can. Ordin. Dist. 75.)*

—

Domine Jesu, propitius esto mihi peccatori, et concede mihi Sanctuarium tuum ingredi, et in atriis tuis habitare, ut vivam in te, per te, et propter te, qui es vita animae meae. Unam petii a te hanc requiram, ut inhabitem in domo tua omnibus diebus vitæ meæ.

CAPUT XII.

De necessariis praeficiendorum dotibus, et officiis

—

Rectorem te posuerunt? Noli extolli; esto in illis quasi unus ex ipsis. Curam illorum habe, et sic confide. *(Eccl. 32. 1.)*

Scitis quia principes gentium dominantur eorum, et qui majores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos, sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister: et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus: sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. *(Matth. 20.)*

Si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto hujusmodi instruite in spiritu lenitatis. *(ad Galat. 6. 1.)*

Pleni dilectione, repleti omni scientia, ita ut possitis alterutrum monere. *(ad Rom. 15. 14.)*

Peccantes coram omnibus argue, ut et coeteri timorem habeant. *(1. Tim. 5. 20.)*

Seniorem ne increpaveris: sed obsecra ut patrem: ju-

venes ut fratres: anus ut matres: juvenculas ut sorores, in omni castitate. *(1. Tim. 5.)*

Qui in erudiendis, atque instituendis ad virtutem populis præerit, necesse est, ut in omnibus sanctus sit, et in nullo reprehensibilis habeatur. *(S. Isid. l. 2. Off. ad S. Fulg. c. 5.)*

Cuncti, qui praesunt, non in se potestatem debent Ordinis, sed aequalitatem pensare conditionis; nec præesse se hominibus gaudeant, sed prodesse. *(S. Gr. P. in Past. p. 2. c. 6.)*

Ne praesidentis animus ad elationem potestatis suae delectatione rapiatur, recte per quemdam sapientem dicitur: Ducem te constituerunt? Noli extolli, sed esto in illis quasi unus ex illis. Hinc etiam Petrus ait: Non dominantes in Clero, sed forma facti gregis. *(S. Gr. P. in Past. p. 2.)*

In boni Rectoris pectore si est virga districtionis, sit et manna dulcedinis; servanda est in corde humilitas, et in opere disciplina; et vitiis potius quam fratribus dominari. *(S. Gr. P. ibid.)*

Boni Rectores magis per mansuetudinis levamentum student peccantes ab erroris laqueo eruere, quam per austeritatem in foveam perditionis nutantes propellere. Unde Doctor gentium, factus sum, inquit, infirmus infirmis, ut infirmos lucrifacerem. *(S. Hier. Dist. 45. c. Recedite.)*

Sit Rector bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiae erectus; ut et bonis in nullo se praeferat, et cum pravorum culpa exigit potestatem protinus sui prioratus agnoscat. *(S. Gr. P. in Past.)*

Qui praeficitur ad regimin taliter erga disciplinam subditorum praestare debet, ut non solum auctoritate, verum etiam humilitate clarescat. *(S. Isid. Hisp. l. 3. Sent. c. 42.)*

Est enim Christus eorum, qui humiliter se gerunt, non eorum, qui eriguntur in gregem suum. *(S. Clem. Alex. l. 4. St.)*

In alto sedens, non alta sapias, per omnia sentiens humiliter, humilibusque consentiens, non ambules in magnis, nec in mirabilibus super te. Hoc ergo sentias in te ipso, quod in Christo Jesu, ut sicut exinanivit se, formam servi accipiens, sic eorum, qui tibi subjecti sunt, servum te reputes humilem, et abjectum: non sit tibi dedecori humilitas, quae decuit Filium Dei. Frequenti, quaeso, scrutinio dispice, et attende, qualis ex dono Dei sis, et qua-

lis sis ex te ipso, et redde quae tua sunt tibi, quae Dei Deo. *(Petr. Bles. in Inst. Episc. c. 3.)*

Sunt qui honores virtutes reputant, suisque meritis adscribunt gradum eminentiae, quem in ira Dei fortassis adepti sunt. Honoris assumptio, multis tentatio facta est, et subversionis occasio. Igitur sic praesis, ut prosis. Vae his qui praesident hominibus, nisi praesideat iis Deus. *(Idem ibid.)*

Solerter intuendum est, ne dum immoderatius custoditur virtus humilitatis, solvantur jura regiminis, et dum Praelatus quisque plus se, quam decet, dejicit, subditorum vitam stringere sub disciplinae vinculo non possit. *(S. Gr. P. in Past. p. 2.)*

Virtutibus pollens coactus ad regimen veniat, virtutibus vacuus nec coactus accedat. *(Idem ibid. p. 1. c. 9.)*

Christus ait Petro: *Simon Joannis amas me?* Qui cum se amare protinus respondisset, audivit: *Si diligis me, pasce oves meas.* Si ergo dilectionis est testimonium cura pastionis: quisquis virtutibus pollens gregem Dei renuit pascere, pastorem summum convincitur non amare. *(Idem ibid. p. 1. c. 5.)*

Sunt nonnulli qui ex sola humilitate refugiunt, ne eis quibus se impares aestimant praeferantur: Sed divinis dispositionibus subditus, atque a vitio obstinationis alienus, cum sibi regiminis culmen imperatur, si jam donis praeventus est, quibus et aliis prosit, et ex corde debet fugere, et invitus obedire. *(Idem ibid.)*

Ex Presbyteris Ecclesiae, et Diaconibus eligatur non bonus, non melior, sed optimus. *(S. Leo P. ad Anast, Epis. ep.)*

Longa debet vitam suam probatione monstrare, cui gubernacula committuntur Ecclesiae. *(S. Hormis. P. ep. ad Episc. Hisp.)*

Miserum est eum Magistrum fieri, qui nunquam discipulus fuit. *(Dist. 61. c. Miserum est.)*

Qualis aedificatio erit discipuli, si se intelligat magistro esse majorem? Unde non solum Episcopi, Presbyteri, et Diaconi debent magnopere providere, ut cunctum populum, cui praesident, conversatione, sermone, ac scientia praecedant: verum etiam, et inferioris gradus Exorcistae, Lectores, Æditui, Acolyti, et omnes omnino, qui domui Dei deserviunt; quia vehementer Ecclesiam Dei destruit meliores Laicos esse, quam Clericos. *(S. Hier. in c. 2. ep. ad Tit.)*

Cum in plerisque Sanctae Ecclesiae negotiis salubris sit dispensatio, lethalis profecto, et mortifera est, ubi aut coeci per ignorantiam aut irreligiosi sapientes, aut ad saecularia negotia projecti ad aliorum Primatum venire permittuntur. *(S. Gr. P. l. 1. in 1. Reg. c. 3.)*

Indecorum est, ut hi debeant Ecclesiam regere, qui non noverunt gubernare se ipsos, cum ad Ecclesiarum regimen tales personae sint admittendae, quae discretione præmineant, et morum fulgeant honestate. *(Cap. Indecorum 3. de act. et qual. praef.)*

Sed proh dolor! Temporibus nostris per universum mundum pestilentialis morbus excrevit, ut praeficiantur Ecclesiis, quos nec scientia, nec vita commendat: coeci, duces coecorum, et praecipitati ad praecipitium perducentes. *(S. Bern. ser. 3. de S. Andr.)*

Vadunt ad inferos per vitium praesumptionis novitatum Rectores, adinveniendo novas vias ultra consuetas ad regendum populum, sive ut extorqueant a subditis substantias, quod pertinet ad cupiditatem, sive ut laudentur ab hominibus de modo regiminis tanquam sapientiores antiquis, recedendo sine causa a semitis eorum, contra illud Proverbiorum vigesimo secundo: *Non transgredieris terminos antiquos quos posuerunt Patres tui.* Vadunt doctores in adinventionibus suis, qui non sequuntur dicta Sanctorum, sed opiniones novas subtiles, et curiosas ad pruriendum aures. *(S. Antonin. p. 2. t. 4. c. 5.)*

Qui bene praesunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo, et in doctrina. *(S. Hormis. P. ep. ad Epis. Hisp.)*

Debet Rector subtili semper examine bona malaque discernere, et quae vel quibus, quando vel qualiter congruant, studiose cogitare: nihilque proprium quaerere, sed sua commoda propinquorum bona deputare. *(S. Gr. P. in Past. c. 2.)*

Sit Rector operatione praecipuus, ut vitae viam subditis vivendo denuntiat. Qui enim loci sui necessitate exigitur summa dicere, hac eadem necessitate compellitur summa monstrare. *(Idem ibid. p. 2. c. 3.)*

Non simulatione, non ingenio regenda est Ecclesia sed justitia, et veritate. *(S. Th. Cant. ep. 1. ad Cur. S. R. C.)*

Qui habet specialem curam alterius, debet eum quaerere ad hoc, ut corrigat de peccato. *(S. Th. 22. q. 33. a. 2. ad 4.)* 5

Si neglexeris corrigere, pejor eo factus es qui peccavit. *(S. August. de Verb. Dom. ser. 6.)*

Qui emendare potest, et negligit, participem se procul dubio delicti constituit. Vides peccatum et negligis! pejor es tu tacendo, quam ille committendo. *(S. Greg. P. in Past.)*

Consentire videtur erranti, qui ad resecanda quae corrigi debent, non occurrit. *(Dist. 83. c. Consentire)*

Est enim consentire silere, cum arguere possis. *(S. Bern. in Nat. S. Jo. Bapt.)*

Dixisti semel, et non audivit; dic bis, et ter, et toties, donec persuaseris. *(S. Jo. Chrys. hom. 16. ad Pop. Ant.)*

Foris terribiliter personet increpatio, intus lenitatis teneatur dilectio. *(S. August. serm. 18. de Verb. Dom.)*

Sive clames, dilectione clames; sive emendes, dilectione emendes; sive parcas, dilectione parcas. *(S. Aug. t. 7. in 1. Jo. 4.)*

Plus erga corrigendos valet benignitas, quam severitas. *(S. Leo P.)*

—

Da mihi, Domine, quod mihi magis expedire scis ad gloriam tuam; da mihi scientiam Sanctorum, scientiam salutis, et scutum bonae voluntatis. Custodi inter tot pericula animam meam; da ut sanctus sim, quia tu sanctus es; fac me dignum altaribus tuis Ministrum, et Pastorem juxta cor tuum. Cum sim Nazaraeus, et Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, in nullo afficiar, nisi in te; perdere sciam in hoc mundo animam meam, ut eam in vitam aeternam custodiam. Da mihi, piissime Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam, ut sciam judicare populum tuum in justitia, et pauperes tuos in judicio: fac me ita tractare traditas mihi claves Regni coelorum, ut nulli aperiam, cui claudendum est, nulli claudam, cui aperiendum est. Sit intentio mea pura, zelus meus sincerus, charitas mea patiens, labor meus fructuosus. Sit in me lenitas non remissa, asperitas non severa; pauperem ne despiciam, diviti ne aduler. Fac me ad illiciendos peccatores suavem, ad interrogandos prudentem, ad instruendos peritum. Tribue, quaeso, ad retrahendos a malo solertiam, ad confirmandos in bono sedulitatem, ad promovendos ad meliora industriam, in responsis maturitatem, in consiliis rectitudinem, in obscuris lumen, in amplexis

sagacitatem, in arduis victoriam, inutilibus colloquiis ne detinear, pravis ne contaminer; alios salvem, me ipsum non perdam. Amen.

CAPUT XIII.

De vitae integritate

Omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra ad ea, quae consecrata sunt, in quo est immunditia, peribit coram Domino. *(Lev. 22. 3.)*

Propheta, et Sacerdos polluti sunt, idcirco via illorum erit quasi lubricum in tenebris. *(Jer. c. 23. v. 11. 12.)*

Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum. *(Id. c. 1. v. 16.)*

Omnis immunditia nec nominetur in vobis sicut decet sanctos. *(ep. ad Eph. 5. 3.)*

Qui Christi sunt carnem suam crucifixerunt cum vitiis, et concupiscentiis *(ad Gal. 5.)*

Teipsum castum custodi. *(1. ad Tim. 5.)*

Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura. *(1. ad Tim. 3.)*

Quare non facit mentionem de Presbyteris? Dicendum quod Presbyteri intelliguntur cum Episcopis. *(S. Th. in ep. S. Paul.)*

Ante omnia Sacerdos castitate debet praecingi. *(Orig. hom. 4. in Lev.)*

Teipsum castum custodi ut domum Dei, templum Christi, organum Spiritus Sancti. *(S. Ign. ep. 10.)*

Is qui in Sacrum Ordinem cooptatus est, nihil petulans, ac juvenile agere debet, verum temperantem ubique, et probe moderatam vitae rationem praeseferre. *(S. Isid. Pelus. l. 2. ep. 107.)*

Is qui in divinis obsequiis assumitur debet ante Dei oculos a cunctis carnis cogitationibus mundus apparere. *(S. Gr. P. l. 5. mer. c. 24.)*

In his vivens pudicitiae candor efflorea, qui Sacris Ministeriis familiarius appropinquant. *(S. Petr. Dam. c. 18. contr. Cler.)*

Flos est ille Ecclesiastici germinis, decus atque orna-

mentum gratiae spiritualis, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. *(S. Cypr. de dis. virg.)*

Quid per byssum, nisi candens decore munditiae corporalis castitas designatur? *(S. Gr. P. in Past. p. 2. c. 3.)*

Dives est modestia, quia portio Dei est. *(S. Ambr. l. 1. de Off. c. 18.)*

Solum qui agunt puram vitam sunt Dei Sacerdotes. *(S. Clem. Alex. l. 4.)*

Debet habere spiritum mundum, qui spiritibus imperat immundis. *(S. Eccl. in adm. ad Exorc.)*

Sacerdos plus quam homo plusquam Angelus esse debet. *(S. Dionys.)*

Sacerdos angelicam potius, quam humanam debet conversationem habere. *(S. Laur. Just. de Chr. Corp.)*

Sacerdotis animum solaribus radiis puriorem esse oportet. *(S. Joan. Chr. l. 3. de Sac.)*

Necesse est Sacerdotem sic esse purum, ac si in ipsis coelis collocatus inter coelestes illas virtutes medius staret. *(Idem.)*

Ecclesiasticus etiam cum solus est, cum induit, aut exuit, seipsum revereatur; sciens quod fas non est illi proprium corpus inspicere. *(Quid Auct.)*

Filii carissimi servate in moribus vestris castae, et sanctae vitae integritatem. Sit odor vitae vestrae delectamentum Ecclesiae Christi. *(S. Eccl. in Ord. Presb.)*

Estote nitidi, mundi, puri, casti, sicut decet Ministros Christi, et dispensatores Mysteriorum Dei, ut digne addamini ad numerum Ecclesiastici gradus, ut haereditas, et tribus amabilis Domini esse mereamini. *(Ead. in Ord. Diac.)*

Curate ut semper innocentes manibus, et mundo corde ad benedictionem, et misericordiam Sanctuarii Domini accedatis. Anima vestra sit in manibus vestris semper, ne pravis desideriis, et cogitationibus squallescat, ne dictis perversis maculetur, ne vitiosis actibus corrumpatur. *(Quid. Auct.)*

Ne dicatis vos animos habere pudicos, si habeatis oculos impudicos, quia impudicus oculus impudici cordis est nuncius. *(S. Aug. 32. q. 5.)*

Pudicitia Sacerdotalis non solum ab opere se immundo abstineat, sed etiam a jactu oculi, et cogitationis errore mens Christi corpus confectura sit libera. *(S. Hier. in c. 2. ep. ad Tit.)*

Clerici magis proni sunt ad libidinem propter otium. *(Ugo. Card.)*

Qui praedicator constitutus es castitatis, non te pudet esse libidinis? *(S. Petr. Dam.)*

Nullus ad ministerium Altaris accedat nisi cujus castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata. *(S. Gr. P. l. 1. ep. 42.)*

Subdiaconos eos non ordinari debere, qui in adolescentia sua fuerint mœchati. *(Conc. Elib. c. 30. a. 305.)*

Si Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus fuerit fornicatus deponatur, et ab Ecclesia projectus inter laicos agat poenitentiam. *(Can. Apost. 25.)*

Carnales illecebrae in eminentioribus personis acrius persequendae. *(Quid. Auct.)*

Vae qui ambulantes in carne placere Deo non possunt, et placere velle praesumunt. *(S. Bern. de Convers. ad Cler. 19.)*

Vae tibi, Sacerdos, si habens maculam ad ministerium Domini accederes, eique panes offerres: nomen ejus pollueres, mensam despiceres, judicium tibi manducares, et biberes. *(Quid. Auct.)*

—

Tene, Domine, tene manum dexteram meam, et in voluntate tua sancta deduc me, ne misere cadam. Ego quidem dixi in abundantia mea, non movebor in aeternum; juravi, et statui custodire judicia justitiae tuae. Verumtamen si averteris faciem tuam a me, subito fiam conturbatus, et inique agam, totusque immundus ero. Infirmitatem meam respice: in adjutorium meum intende: esto semper a dextris meis, ne fiam tanquam vas perditum, sed in innocentia semper circumdem altare tuum, Domine. O Jesu, Agne sine macula, Fili integerrimae Virginis Mariae, qui pasceris inter lilia cor mundum crea in me; tu scis quia non possum esse purus, et continens, nisi tu Deus omnipotens dederis mihi. Verum quamvis Angelus Satanae me colaphizet, sufficit mihi gratia tua. Da ergo, ut sim, sicut Angeli tui in coelo, sollicitus tantum de iis, quae Domini mei sunt; ut anima mea, tota pulchra, sine macula, audire tandem mereatur: veni, veni de Libano, soror mea, sponsa; veni, coronaberis.

CAPUT XIV.

De vestibus proprio Ordini congruentibus

Ex visu cognoscitur vir, et amictus corporis enuntiat de illo. *(Eccl. 19. 27.)*

Talia debent esse vestimenta servorum Dei, in quibus nihil possit notari novitatis, nihil superfluitatis, nihil vanitatis, nihil quod pertineat ad superbiam, et vanam gloriam: unde Beatus Hieronymus: Non facit ornatum Clericum tenera vestis, sed munditia mentis. *(S. Bern. de mod. ben. viv. ser. 9.)*

Cernitur in nonnullis Sacerdotibus vestium cultus plurimus, virtutum aut nullus aut exiguus. Non Christi stigmata sunt haec, muliebria potius esse noscuntur insignia, quae utique curiosius, et sumptuosius illi sibi praeparare consueverunt, cogitantes nimirum, quae sunt mundi, quomodo placeant viris. *(S. Bern. ep. ad Henr. Senon.)*

Omnis his cura de vestibus, si bene oleant, si pes laxa pelle non folleat: et ne plantas humidior via spargat, vix imprimunt summa vestigia. Tales cum videris, sponsos magis existimato, quam Clericos. *(S. Hier. ep. 22. ad Eustoch.)*

Qui immoderato cultu corporis, atque vestitu, vel caeterarum rerum nitore praefulget, facile convincitur rebus ipsis pomparum saeculi esse sectator. *(S. Aug. l. 2. de Serm. Dom. in mont. c. 12.)*

Jam si eum mundo subtraxeras, mundi in eo schemata non requiras. Erubesco ecclesiastica profitentem ornamentis saecularibus expolire. *(S. Ennod. Ep. Ticin. l. 11. ep. 14.)*

Non tanto curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens inculta virtutibus. *(S. Bern. Apol. ad Guill. c. 9.)*

Numquid Clerici saeculares, qui non portant coronam vel tonsuram vel habitum congruentem sunt in numero salvandorum? Ad hoc, licet aliqui scandalizentur, volentes applaudere sibi in peccatis, et dicentes, omnia jura, quae super hoc emanaverunt, de consilio intelligenda, *dico quod non;* cum enim pro tali apostasia poena gravis, et multiplex imponatur, patet, quod non est consilium sed praeceptum. *(S. Raym. ni Sum.)*

Non aliud Sacerdotes, quam amictum quaerunt clariorem verbi gratia castorinas, et sericas vestes: et ille se inter alios credit esse altiorem, qui vestem induerit clariorem. *(S. Ambr. de dign. Sac. c. 4.)*

Caveant Clerici, ne unquam, etiam praetextu itineris, eo modo incedant, ut potius laici, quam Ecclesiastici videantur. *(Quid. Auct.)*

Modestia tua nota sit omnibus hominibus: ambula sicut habes formam ab Ecclesia praescriptam. Vide igitur ne legem matris tuae spernas: colorem et formam decrevit, colorem, et formam serva; vanitatem et luxum prohibuit, haec devita: simplicitatem, et decentiam praescripsit, haec tene, in his esto; sordidas, et pannosas vestes respuit, has rejice. *(Idem.)*

Quot sunt inter Sacerdotes, qui insignia Christi erubescunt. Regale Sacerdotium sunt, et regalem coronam ferre contemnunt. Saeculo renuntiaverunt, et de vilissimo mundi pulvere vestes refertas ferre amant: milites Christi sunt, et vix impinguati, et dilatati recalcitrant, et indumenta ejus projiciunt: servi ejus sunt, et student hominibus placere: clerici sunt, et sponsi apparent: de mundo sunt, et ideo mundum diligunt, et diligit eos mundus: erubescunt Dominum coram hominibus; erubescet et Dominus eos coram Patre suo, qui in coelis est. *(Idem.)*

Etsi habitus non facit monachum, oportet tamen Clericos vestes proprio congruentes Ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant. *(Conc. Trid. Sess. 12. c. 6. de Refor.)*

Aliquorum Clericorum inolevit religionis contemptus, ut propriam dignitatem parvipendentes, vestes etiam deferant laicales. *(Id. Ses. 14. c. 6.)*

Nullus Clericus sagum, ac vestimenta, vel calceamenta saecularia, nisi quae Religionem deceant, induere praesumat. Quod si post hanc definitionem Clericus, aut cum indecenti veste, aut cum armis inventus fuerit, a Seniore ita coerceatur, ut triginta dierum inclusione detentus, aqua tantum, et modico pane diebus singulis sustentetur. *(Conc. Matisconen. can. 5. a. 581.)*

Clericos, qui se splendidis vestibus exornant corrigere oportet. *(Conc. Nicaen. 2. Act. 8. 16.)*

Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, caeterique Clerici, clericali tonsura sint insigniti, ad eam formam, quam ratio

uniuscujusque Ordinis, Episcopi arbitrio postulabit. *(Act. p. 1. Conc. Prov. 1. p. 2. tit. de Cler. vest.)*

Spreta in vestibus forma Ecclesiasticae honestatis, plurimi delectantur esse deformes, et cupiunt laicis conformari; quodque mente gerunt, habitu profitentur. *(Conc. Constant. Sess. 43.)*

Gravis, et perversus nimis abusus est, Clericalem habitum non deferre, in quo Deus irrideri dicitur, obscuratur decus Ecclesiae, Clericalis Ordinis celsitudo deprimitur, Christus a suis militibus ferentibus insignia aliena deseritur, decus honestatis Ecclesiae maculatur; dum Clericum a laico respiciens oculus non discernit, fitque omnibus vere fidelibus in scandalum, et in despectum. *(Conc. Londin. a. 1248.)*

Clericus, qui amictu Clericali indutus incedit, ne in propinquorum, nec parentum quidem obitu vestes lugubres more laicorum induat, gestetque: neque vero vestis formam, aut panni genus, quo Clerum universum, uti moris est, commutet; sed pium erga propinquos mortuos charitatis studium, officiumque praeseferat omni alia ratione, quae cum Clericalis Ordinis decore, dignitateque omnino conveniat. *(Conc. Med. 5. sub. S. Car.)*

Totus clericalis vestitus ostentationem, luxum, et quidquid novum, inane, exquisitum, sumptuosum est nesciat. *(Syn. Nucerin. a. 1606.)*

Habitum Clericalem declaramus eum esse, qui veste talari, ac tonsura constat. *(Conc. Aquilejen. a. 1556.)*

Vestis utraque interior, et exterior in civitate talaris esse debet. *(Idem. a. 1585.)*

In Presbyteratus ordine constituti vestes, quae Clericis a jure non prohibeantur, deferre debent usque ad talos. Reliqui vero Clerici temperate ac modeste omnia faciant, et tam ipsi Clerici beneficiati, quam in Sacris Ordinibus constituti comam, neque barbam non nutriant. *(Conc. Later. sub Leon. X. a. 1511.)*

Omnes Clericos maxime in Sacris constitutos admonitos esse volumus ut professionem suam probent habitu: vestes sint talares. *(Conc. Senon. a. 1527.)*

Praecipimus eis ut vestes Ordini Ecclesiastico congruas, utpote talares, deferant. *(Syn. Paris. Lugd. Turon. Catalaun. Raven. Narbon. Mediol. Sypontin. Urbin. Florent. Hidront. Neapol. Senens. Aquilejen. Salernit. Rhem. Aquens. Burdigal. Bituricen. Tolos. Sylvanec. Londin. To-*

letan. Spolet. Montispessul. Mogunt. Rothomag. Veron. Aleriens. Oxoniens. Vercell. Veron. Leonens. Tornacens. Bisunt. Ebroicens. Meldens. etc. etc. etc. etc.)

Habitu talari tum domi, tum foris utantur. *(Conc. Med. 4. tit. Monit.)*

Omnes in loco residentiae veste talari utantur. *(Syn. Claramont.)*

Ne Clericus ullus Sacro Ordine initiatus sine tunica talari per vias, et plateas deambulet. *(Conc. Mexhod. l. 3. tit. 5.)*

Non sint Ecclesiasticorum vestes viles, sordidae, et neglectae, sed proprio congruentes Ordini simplices, mundae, ac tales, ut necessitati, et honestati serviant; et tam coloris modestia, quam cultus simplicitate religiosam praeseferant humilitatem. *(Conc. Prov. S. Car. p. 2. hoc tit.)*

Ne in habitu clericali aut studiosius exquisita cultus elegantia, aut nimis abjecta negligentia, et affectatae sordes appareant. *(S. Car. Bor. Conc. Prov. 1. p. 2. tit. de Cler. vest.)*

Omnem habitus, et ornamenti novitatem Clerici fugiant. *(Idem.)*

Ne serico vestimento aut ornamento domi aut foris utantur. *(Idem.)*

Jubemus vero illos laneum, et ei Ordini decorum vestimentum adhibere. *(Idem.)*

Clerici a sericeis vestibus abstineant, sed simplices nulla vanitate notandae. *(Conc. Flor. Med. Bitur.)*

Non pannosi, sordidi, aut laceri vestibus incedant: neque enim affectae sordes aut exquisitae deliciae laudem afferunt, inquit Hieronymus. *(Conv. Melod. a. 1579.)*

Non sint magnificae, aut praetiosae Clericorum vestes. *(Syn. Placen. a. 1570.)*

Sacerdotes incedant in vestibus suo Ordini congruis: ut sicut cæteris dignitate præeminent, sic plenius et formam, et exemplum exhibeant honestatis. *(Conc. Eborac. a. 1194. decr. 6.)*

Sicuti Clericorum honestas intus per morum compositionem in animo esse debet, ita quoque in habitu exteriori, ad populi aedificationem, et ad sui etiam ipsorum, atque totius Clericalis Ordinis reverentiam, et dignitatem elucere maxime oportet. *(Syn. Hertuntens. a. 1686.)*

Hortamur, ac praecipimus ut Tonsuram in capite, et Coronam habeant suis Ordinibus congruentem, et honesto

rasam, et vestibus oblongis minime laceris, aliisque omnibus vestimentis Ecclesiasticae dignitati, et modestiae convenientibus utantur. *(Conc. Rothom. a. 58.)*

Ne domi quidem suae ullam quae Clericum minus deceat vestem adhibere audeat. *(Syn. Amerin. a. 1595.)*

Quae circa tonsuras, et vestes per canonica statuta fuerunt de honestate Clericorum laudabiliter instituta, ea ab omnibus Ecclesiasticis viris servari districte praecipimus. *(Conc. Paris. a. 1429.)*

Habitu sint contenti simplici. *(Conc. Salern.)*

Neque ullo superfluo cultu ornatu. *(Conc. Camerac. a. 1586.)*

Nec laxiores, nec strictiores quam deceat. *(Conc. Senen.)*

Nec nimia brevitate, aut longitudine notandae. *(Conc. Later. 4.)*

Undique clausa desuper deferant vestimenta, tam retro, quam a lateribus, et ante. *(Conc. Later. 4. Burdig. Turon. Senon.)*

In omni vestitu color tantum niger adhibeatur, nisi fortasse alium colorem requirat dignitatis gradus. *(Conc. Med. Prov. 1. p. 2. Burdig.)*

Pilei simplices, quales cæteri Ecclesiastici pro tempore reformati gestare solent. *(Conc. Consent. Syn. Besant. a. 1573.)*

Sudariola, chirotheca, vestes, aut alia odoribus delibuta Clericali modestiae non conveniunt. Hae igitur vanitates vitando odorem illum habere studeant, de quo D. Paulus scribit: Christi bonus odor sumus in omni loco. *(Syn. Auxim. a. 1593.)*

Omnes Ecclesiasticae personae si postquam ab Episcopo suo, etiam per edictum publicum, moniti fuerint, honestum habitum Clericalem illorum ordini, et dignitati congruentem, et juxta ipsius Episcopi ordinationem, et mandatum non detulerint, per suspensionem ab ordinibus, nec non si semel correpti, denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum, et beneficiorum hujusmodi coerceri possint, et debeant. *(Conc. Trid. Sess. 14. c. 6.)*

Ecce tibi quomodo Concilia, et Statuta decentiam, et simplicitatem Evangelicam tibi commendant, et praecipiunt. Quid est ergo, cur eorum documenta, et jussa parvipendis? Forsan quia contraria consuetudo jam multum viget? Misera et pestifera defensio! Commentitium vanitatis tuae firmamentum! An idcirco consuetudini adhaerendum est?

Minime. Quare? Quia Christus se veritatem dixit, non vero consuetudinem. *(Tert.)*

Ne quis nimia sive Pastorum sive temporum indulgentia, et impunitate seu oscitantia, cum religionis dedecore, nominis Dei contemptu, et propriae salutis dispendio de caetero abutatur, hac nostra perpetuo valitura Constitutione praecipimus, et mandamus omnibus, et quibuscumque Clericis, non solum in Sacris, sed etiam in aliis minoribus Ordinibus constitutis, et Clericali tantum Tonsura insignitis, et ne dum beneficia Ecclesiastica qualiacumque etiam simplicia nunc, et pro tempore obtinentibus, et in illis vel ad ea jus habentibus, verum etiam pensiones super quibusvis fructibus, redditibus, aut proventibus quarumcumque Ecclesiarum .... Ut ipsi et eorum quilibet quantumvis exempti existant etc. debeant ... Tonsuram, et habitum clericalem, vestes scilicet talares etc. quacumque remota excusatione assumere, et jugiter deferre. Alioquin et alios, et ipsorum quemlibet, etc. praeter alias poenas contra eos inflictas ... beneficiis ... nec non pensionibus, ipso facto privatos declaramus etc. *(Sixtus V. a. 1589. in Bulla quae incipit, Cum Sacrosanctam.)*

Verum, o insensati, quis vos fascinavit adhaerere vanitati, veritati autem non obedire, non induendo modestiam Electorum Dei, et Pastorum juxta cor ejus? Nonne expoliastis vos tunica vestra? Quomodo adhuc induimini ea? Verum, audite oraculum Dei: *et erit: in die hostiae Domini visitabo ... super omnes, qui induti sunt veste peregrina.* Soph. 1. 8. Super quem visitabit? super actualem lectorem, si lectis, et auditis his Ecclesiasticis Sanctionibus, fatuas vestium pompas adhuc sectari temerarius velit. Numquid has pompas post mortem secum sumet? Heu! minime; eas alienis, aut tineae relinquet. Vae illi, si virtutum ornamenta ante tribunal Christi secum non portet! Quid sua sibi tunc proderit fatuitas? Hoc serio secum cogitet. *(Quid. Auct.)*

CAPUT XV.

De non nutrienda coma.

Sacerdotes caput suum non radant, neque comam nu-

triant, sed tondentes attondeant capita sua. *(Ezech. 24. 20. vid. S. Greg. in Past.)*
Non oportet Clericos comam nutrire, et ministrare, sed attonso capite, patentibus auribus, et secundum Aaron talarem vestem induere, ut sint in habitu ornatu. *(Can. Non liceat. Dist. 23.)*
Comam, et tonsuram, patentibus auribus, habeant congruentem. *(Conc. passim.)*
Crines calamistratos, et retortos non habeant. *(Conc. Bitur. a. 1584.)*
Nemo comam nutriat, sed modestam habeat, et ita detonsam, ut aures capillis non obtegantur. *(Can. Prohibete 20. Can. Clerici dist. 24.)*
Comam ne studiose nutriant: capillis simplicem cultum adhibeant. *(Conc. Mediol. I. a. 1565.)*
Probrosum est Clericos spineae Jesu Christi Coronae insignia gestantes in capite comam nutrire, et qui ad deponendum comas capitum pro Dei nominis honore festinarunt, inflexis, et cincinnatis crinibus procedere, ut quicumque eos viderit, sponsos magis existimet quam Clericos. *(S. Hier. ad Eustoch.)*
Omnes qui elegerunt Dominum in haereditatem suam, gerant comam clericalem conspicuam, et proprio Ordini congruentem. *(Conc. Rom. tit. 16. c. 3.)*
Si quis ex Clericis relaxaverit comam, sit anathema. *(Gr. P. II. in Conc. Romae habito)*
Capilli ergo tondeantur usque ad revelationem oculorum, sensuum, et aurium. *(Syn. Paris. a. 1514.)*
Nec etiam caesariem fronte bipartitam seu discriminatam deferant. *(Conc. Gusesnen. a. 1523.)*
Caesariem in posteriore, vel longiores capillos in anteriore parte capitis, nemo gerere sub poena suspensionis audeat. *(Syn. Taroisina a. 1612.)*
Capillitium dependens fronte ad auriculas sensim, et rotonditer praecidatur. *(Conc. Mechlinien. a. 1523.)*
Capillitium ne in cristam componant, seu a brechmate in occiput recrispent. *(Direct. Eccl. Colon. a. 1596.)*
Caveant Clerici ne comam gestent molliter, et effaeminate comptam. *(Syn. Cremens. a. 1609.)*
Capilli capitis minime sint concinnati. *(Syn. Vincentina a. 1583.)*
Non aquis odoriferis exornatos, aut aliter delibutos. *(Syn. Favent. a. 1615.)*

Nullus cirris, cincinnisve calamistratis atque contorsis frontem inumbret, aut effaeminet tempora. *(Syn. Cephalaeditana a. 1635.)*

Si enim mulieribus extrinseca capillatura, et intorti crines prohibentur, quanto magis erit vituperanda in Clericis mollities in ordinando capite. *(Syn. Faventina a. 1615.)*

Quisquis Clericus ad sortem Domini vocatus comam nutrit, et capillos radere vel tondere erubescit, profecto se non de Dei, sed de mundi sorte esse testatur; quanto enim quisque carnis crines diligit, fovet, et nutrit, tanto cor suum non in Coelis, sed in terra fixum esse ostendit; quanto autem radit, et edomat, tanto se non terrena, sed æterna diligere comprobat. *(S. Aug. de contemp. mund. c. 3.)*

Capilli in capite exteriores sunt cogitationes in mente; qui, dum super cerebrum insensibiliter oriuntur, curas vitae praesentis exprimunt, quae ex sensu negligenti quia importune aliquando prodeunt, quasi nobis non sentientibus procedunt: quia igitur cuncti, qui praesunt, habere quidem sollicitudines exteriores debent, nec tamen vehementer eis incumbere, Sacerdotes recte et caput prohibentur radere et comam nutrire, ut cogitationes carnis de vita subditorum, nec a se funditus amputent, nec rursus ad crescendum nimis relaxent. *(S. Gr. P. past. p. 2. c. 7.)*

Competit Clericis ratione subtractionis capillorum et ex parte superiori per rasuram, ne mens eorum temporalibus occupationibus a contemplatione divinorum retardetur, et ex parte inferiori per tonsuram, ne eorum sensus temporalibus obvolvantur. *(S. Th. in 4. Sent. dist. 24. quaest. 3. art. 1.)*

Residuos capillos eo ordine praecidere debetis, ut aures, oculos, et alios sensus capitis liberos reddant et curam exteriorum. Non in superfluis desideriis carnis, sed necessariis tantum exercendam agnoscant. *(Yuo. Carnotens. ser. 2. de vit. Ordin.)*

Hinc itaque Christi Sacerdotes, qui ad æternam vitam medullitus suspirant, qui mundum cum suis oblectationibus sub pedibus conculcant, qui in terra nihil possidere volunt, sed cum Apostolo dicunt: Nostra conversatio in Coelis est, capillorum minimam partem in capitibus retinent, ut per eorum abrasionem, se minimam terrenorum sollicitudinem habere designent. *(S. Aug. de contemp. mund. c. 3.)*

Nunquam, Domine misericordissime, in vanitates, et insanias falsas respexissem, si mundus mihi crucifixus fuisset, et ego mundo: si Te Ducem meum secutus fuissem; certe non ambulassem in tenebris, et mundanas species non dilexissem, milliaque peccatorum monstra evasissem. Usquequo ergo gravi corde diligam vanitatem, et quaeram mendacium? Meminero istius: scilicet, *quicumque voluerit esse amicus hujus saeculi, inimicus Dei constituitur.* Et vero, quae conventio Tui ad Belial? Quid mihi cum pompis diaboli, quibus in baptismate, et in sacra unctione renuntiavi, ut uni Tibi adhaererem? Nonne tempus est fugiendi de medio Babylonis, ut me immaculatum ab hoc sæculo custodiam, et salvem animam meam? O Deus cordis mei, o requies mea! Quam bonum est adhaerere tibi Deo meo! Caetera vanitas, et afflictio spiritus.

CAPUT XVI.

De immaculata Sacramentorum administratione, ac praecipue SS. Eucharistiae.

—

Omnis homo qui accesserit de stirpe vestra ad ea quae consecrata sunt, et quae obtulerunt filii Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino. *(Levit. 22. 3.)*

Quidquid obtulerit homo in holocaustum Domini, ut acceptabile sit, omnis macula non erit in eo. *(Id. 12. 10.)*

Omnis qui habuerit maculam non accedet offerre hostias Domino. *(Id. 21. 21.)*

Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat: qui enim manducat, et bibit indigne judicium sibi manducat, et bibit non dijudicans Corpus Domini. *(1. Cor. 11.)*

Non accedat ad offerendum homo claudus, idest qui est ad perfecte incedendum parum firmus est. *(S. Cyril. l. de Sacerd.)*

Passio Domini est sacrificium ipsum, quod offerimus, et ideo nihil aliud, quam ille fecit, facere debemus. *(S. Cypr. in ep. ad Burd. c. 7.)*

Quod Judæi per invidiam. et odium immolaverunt, putantes se Christi nomen a terra abolere; hoc ipsum nos

causa salutis nostrae in ara sanctificata perficimus; scientes hoc solo remedio, nobis vitam praestandam, et mortem effugandam: hoc enim ipse Dominus jussit nos agere in sui commemorationem. *(S. Martial. unus ex 72. discip. Chris.)*

Christi passionis, et humanae redemptionis mysteria in Missa mystice celebrantur; hoc ipso Domino affirmante, qui ait: Haec quotiescumque feceritis in mei commemorationem facietis. *(S. Laur. Just. ser. de Chr. Corp.)*

Christus, qui in se resurgens a mortuis, jam non moritur, adhuc per Sacram Hostiam, in suo mysterio pro nobis iterum patitur: nam quoties ei Hostiam suae passionis offerimus, toties nobis ad absolutionem nostram, passionem illius reparamus. *(S. Greg. P. l. 2. ep. ad Caecil.)*

Cum passus sit Dominus in Cruce pro salute mundi; nunc mactatur in Altari pro unius commodo. Tunc crucifixus est pro totius populi multitudine; nunc quasi pro unius homuncionis utilitate, salutaris hostia videtur offerri. *(S. Petr. Dam. opusc. 6. insc. Cler.)*

Audite, fratres mei; si beata Virgo Maria honoratur, ut dignum est, quia ipsum portavit in sanctissimo utero suo: si beatus Joannes Baptista contremuit, et non audebat tangere Domini verticem; quantum debet esse Sacerdos sanctus, et justus? *(S. Bonav. Ser. 2. Dom. 5. post. Trin.)*

Si in figura tanta observantia, quanta in veritate? Disce Sacerdos, ut mundum corpus celebrandis exhibeas Sacramentis. *(S. Ambr. de Off. l. 1. c. 50.)*

Qua puritate oportebit custodire nostri corporis, atque animae castitatem, quos necesse est, quotidie Sacrosanctis Agni carnibus vesci, quas neminem immundum contingere etiam veteris Legis praecepta permittunt? *(Cassian.)*

Est ratione plenissimum, ut in iis niveus pudicitiae candor effloreat, qui Sacris Altaribus familiarius appropinquant, quia Dominicum Corpus in virginalis uteri templo coaluit, nunc etiam a Ministris suis continentis pudicitiae munditiam quaerit. *(S. Petr. Dam. opusc. 6. cont. insc. Cler.)*

Ratione ministerii consecrandi, et offerendi Corpus Christi ad altiorem rerum divinarum considerationem, majoremque animi puritatem Sacerdotes obligantur. *(Suar. de Relig. c. 17.)*

Quo non oportet tali fruentem Sacrificio? Quo uno so-

lari radio splendidiorem manum carnem hanc dividentem: os, quod igni spiritali repletur, linguam, quae tremendo nimis sanguine rubescit? *(S. Jo. Chr. hom. 60.)*

Cogita quales oporteat esse manus illas, quae Dominicum Corpus contrectant, qualem eam linguam, quae tremendo nimis sanguine rubescit; qua denique non puriorem, sanctioremque eam animam, quae Sanctum Spiritum suscepit, ac tali sacrificio fruitur. *(Id. de Sac. l. 6.)*

Si mundis attingi manibus volebat in praesepio positus, quantum corpori suo nunc vult adesse munditiam jam in paternae gloriae majestate sublimatus. *(S. Petr. Dam. op. 17. de Coelib. Sac.)*

Sit usque ad Missarum peragenda mysteria saliva linguae nostrae virgo vel casta; ut vel se sub virginali taciturnitatis censura coerceat, vel sub pudicae quodammodo locutionis moderamine, sobria verba depromat, *(Id. op. 6. cont. insc. Cler. c. 1.)*

Nihil offerri pretiosius, nihil efficacius potest, nihil ei qui offert, vel ei, pro quo offertur utilius, si dignitati Sacrificii personarum indignitas non obsistat. Oportet enim offerentem puras manus inferre, ne quod inpretiabile est, omnique veneratione dignissimum, vel sub pretii recidat vilitatem, vel causis indignioribus expendatur. *(Arn. Ep. Luxovien. ad Ernal. Bonevallis Abb.)*

Missae Sacrificium omni Religionis cultu, ac veneratione celebretur, exteriori devotione, ac pietatis specie peragatur. Quanta maxime fieri potest cordis munditia, ac puritate. *(Conc. Trid. Sess. 22.)*

Fatemur nullum aliud opus adeo sanctum, et divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum Mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in Altari per Sacerdotes quotidie immolatur. *(Idem.)*

Super hac potestate consecrandi Corpus, et Sanguinem Domini, super tam insigni miraculo stupet coelum, miratur terra, contremiscit homo, reveretur angelica celsitudo. *(S. Bern. serm. in Coen. Dom.)*

Ad faciendum Missae Sacrificium parate vos omni pietate, in tam alti Mysterii meditatione toto animo defixi; et quo purius id faciatis, propriam conscientiam diligenti, accurato, frequentique examine discutite. *(S. Car. Bor, in Syn. Med. Prov. 4.)*

Tria sunt, quae exigit a te hujus Sacramenti quotidia-

na susceptio, corporalem munditiam, puritatem conscientiae, et actualem devotionem. *(S. Bonav. de praep. ad Mis.)*

Proba teipsum, et quanta charitate, et quali fervore accedis: non solum enim mortalia vitanda, sed etiam venialia per negligentiam, et otium multiplicata, et etiam per inconsiderationem, ac per distractionem dissolutæ vitæ, et malae consuetudinis, quae licet non occidant animam, tamen reddunt hominem tepidum, gravem, et obnubilatum, et indispositum, et ineptum ad celebrandum. *(Idem.)*

Per orationem quae fit in Missa in quantum habet efficaciam ex devotione Sacerdotis Missa melioris Sacerdotis est magis fructuosa. *(S. Th. 3. q. 82. a 6.)*

Haec duo ad istud Sacramentum efficaciter recipiendum valent, scilicet compassio mortis Christi, et vilificatio, et annichilatio sui, ut scilicet quantum potest, vilis fiat et indignus in oculis suis, qui recipere debet. *(S. Bon. c. 7. 2. p.)*

Quanta cura adhibenda sit, ut Sacrosanctum Missae Sacrificium omni religionis cultu, ac veneratione celebretur, quivis facile existimare poterit, qui cogitarit maledictum in Sacris Litteris vocari eum, qui facit opus Dei negligenter. Quod si necessario fatemur nullum aliud opus adeo sanctum, ac divinum, a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum Mysterium, quo vivifica illa Hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in Altari per Sacerdotes quotidie immolatur; satis etiam apparet omnem operam, et diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest interioris cordis munditia, et puritate, atque exterioris devotionis, ac pietatis specie peragatur. *(Conc. Trid. Sess. 23. de. Sac. Mis.)*

Aliqui sine spiritu, sine affectu, sine timore, et tremore festinatione incredibili Sacrum perficiunt, quasi fide Christum Dominum non viderent, aut ab eo se videri non crederent. *(Bened. XII. in Bulla Annus qui.)*

In ea Sanctissimi sacrificii actione ab erroribus, vel levissimis omnino cavete. Quae de illo pie, riteque celebrando praescripta sunt, ea vos studiose, diligenterque servate. *(S. Car. Bor. in Syn. Med. Prov. 4.)*

Qui enim Missam praecipitat, in infernum praecipitat. *(S. Petr. Dam.)*

Coerimonias Missae accurate unusquisque observet: in eaque celebranda pronuntiationem, et quamcumque aliam

exteriorem actionem ita moderetur, ut non minus aliorum aedificationi, quam propriae devotioni serviat. Et ideo semihoram in faciendo Sacro nec multum excedat, neque ita brevis sit, ut illam non expleat. *(Quid. Auct.)*

Sacerdotes antequam celebrent, se colligant, et orantes mentem in tanti Mysterii cogitatione defigant. Antequam ad Altare accedant, Missam perlegant, et singulas partes ita praeparatas, et notatas habeant, ut celebrantes neque errent, neque haereant. *(S. Car. Bor. de iis quae pert. ad celebr. Mis.)*

Nos declaramus Missam illam decenter celebrari, quae nec ultra horae dimidium producitur, nec ante tertiam horae partem absolvitur. Qui brevior sit, in exteriori foro nolumus eum censeri devote celebrasse, aut muneri suo satisfecisse, sed in eum animadvertatur ad praescriptum. *(Id.)*

Missae nec ante auroram, nec post meridiem, nisi ex causa a jure permissa, celebrentur. *(Id.)*

Missa celebretur, non quasi ex consuetudine, sed magna cum devotione, sedate, tranquille, leniter, ut spiritualem, ac divinam rem agi omnes cognoscant. *(Id.)*

Accedat Sacerdos ad Altaris tribunal ut Christus, assistat ut Angelus, ministret ut Sanctus, populorum offerat vota ut Pontifex, interpellet pro pace ut Mediator. *(S. Laurent. Justin.)*

Cum Sacerdos ex negligentia celebrare omittit, tunc quantum in ipso est, privat SS. Trinitatem laude, et gloria: Angelos laetitia, peccatores venia, justos subsidio, et gratia, in purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam spirituali beneficio, seipsum medicina, et remedio. *(V. Beda cit. a S. Bonav. op. de Praep. ad Miss. c. 5.)*

Statuendum Sacerdoti ut plurimum quotidie celebrandum esse, si discussa conscientia sua persuadere sibi moraliter possit, se esse in statu gratiae: nec obstat minor fervor, cum persaepe patiamur inviti. *(Bened. XIV. de Sacr. Miss. l. 3. c. 2.)*

Nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa Sacramentali Confessione, ad Sacram Eucharistiam accedere audeat: modo non desit copia Confessarii. Quod si necessitate urgente, Sacerdos absque praevia Confessione celebraverit, quamprimum confiteatur. *(Conc. Trid. Ses. 13. c. 7.)*

Omnis Sacerdos cujus est Sacramenta administrare meminisse debet sancta se tractare, omnique fere temporis

momento paratum esse oportere ad tam sanctae administrationis munus. Quamobrem is cum alios per Sacramenta purgat, atque illuminat, hoc maxime studebit, ut ipse vitam pure, caste, ac religiose agat, mentem item et animam ab omni peccati labe puram, adjutrice Dei gratia, conservet diligenter. Nam etsi Sacramenta divinam quidem virtutem nunquam amittant, tamen impure ea ministrantibus aeternam mortem afferunt. Itaque primum sollicite, et intime recogitare debent, an alicujus peccati mortalis (quod sanctissima cautione Sacerdos vitare debet) sibi conscius sit. Quod si reum esse novit prius Sacramentali Confessione se expiare studebit. *(S. Car. Bor. Inst. Paroc.)*

Non est dubium quin mali se exhibentes Ministri Dei in dispensatione Sacramentorum peccent, et peccatum hoc ex genere suo est mortale. *(S. Th. 3. p. q. 64. 6.)*

Non solum horrendam condemnationem habet is, qui inquinamento carnis, et spiritus indigne ad Sancta accedit, sed etiam qui otiose, et inutiliter edit, ac bibit. *(S. Basil. l. 1. de bapt.)*

Nullus gravius convincitur peccare, quam Presbyter, qui vel per imperitiam vel per reprobam vitam, dum indigne ministrat, quantum ad se, salutaris victimae Sacramenta contaminat. *(S. Petr. Dam. ep. 26. c. 2.)*

Divina justitia Clericos, quibus majora beneficia contulit, ut qui ingrati sunt, et gravius caeteris offendunt, ac praecipue frequentius Deum indigne contrectant, et percipiunt, tanto magis indurat, et profundius ruere permittit. *(S. Bonav.)*

Quisquis flamma libidinis aestuat, qua fronte, qua conscientia divinis Altaribus appropinquat? *(S. Petr. Dam. op. 27. c. 3.)*

Qui sacra illius Sacramenti verba ore immundo profert, in faciem Salvatoris spuit: cum in os immundum Sacratissimam Carnem ponit, eam quasi in lutum proiicit. (*Petr. Bles. ser. 38.)*

Quis adeo impius erit qui lutosis manibus Sacratissimum Sacramentum tractare praesumat? (*S. August. ser. 244.*)

Audent Agni immaculati sacras contingere carnes, et intingere in sanguine Salvatoris carnes nefarias, quibus paulo ante (proh dolor) carnes meretricis attrectaverunt. [*S. Bern. in Declam.*]

A nullo plane Omnipotens majoris injuriae praejudicium tolerat, imo deterius nemo peccat, quam Sacerdos, qui pro-

hibentibus Canonibus indigne sacrificat. Aliter in quocumque modo peccantes, quasi Dominum in rebus ejus offendimus, indigne vero sacrificantes, velut in personam ejus manus insicere non timemus. (*S. Petr. Dam. opusc. 26. cont. insc. Cler. c. 2.*)

Sacerdotes mali Juda traditore deteriores effecti, eo quod sicut ille tradidit illum persequentibus Judaeis, sic isti tradunt eum infernalibus diabolis, eo quod illum ponant in loco sub potestate diaboli constituto. (*S. Bernardin. Senes.*)

Gravius peccant offerentes indigne Christum regnantem in Coelis, quam qui eum crucifixerunt ambulantem in terris. (*S. Aug.*)

Sic vive, ut Sacrificium illud adorandum, tremendum, ac Deo plenum merearis offerre. [*Quid. Auct.*]

—

O Redemptor clementissime, redime me, et miserere mei; vides quia non est, qui redimat, neque, qui salvum faciat; sed apud te, Domine Jesu, misericordia, apud te est copiosa redemptio; proba me, et scito cor meum; et si via iniquitatis in me est, lava me in Sanguine tuo, antequam ad altare tuum accedam, ne bibens indigne Sanguinem tuum, bibam judicium meum. Nefandum scelus! bonum mihi esset, si natus non fuissem. O Jesu dilectissime, admitte me propitius intrantem in sancta sanctorum per Sanguinem tuum: calicem salutaris accipiam; nomen tuum invocabo, et salvus ero.

Piissime Domine Deus meus, in unione perfectissimae illius, divinaeque intentionis, qua Unigenitus Filius tuus Jesus Christus seipsum immaculatum tibi holocaustum pro nobis in crucis patibulo obtulit, ego quoque Sacramentum hoc Corporis, et Sanguinis ejusdem Filii tui tibi omnipotenti Deo pro meis, totiusque mundi peccatis vera fide, charitate, ac contritione cordis offero.

Respice Domine Sancte Pater de Sanctuario tuo, et de excelso coelorum habitaculo, et vide hanc sacrosanctam Hostiam, quam Tibi offert Magnus Pontifex noster sanctus, innocens, dilectus Filius tuus Dominus noster Jesus Christus pro peccatis fratrum suorum, et esto placabilis super multitudine malitiae mundi. Ecce vox sanguinis fratris nostri primogeniti Jesu clamat ad te de cruce. Exaudi Domine, placare Domine, attende, et fac ne moreris propter

Temetipsum Deus noster, quia nomen tuum invocatum est super domum, et civitatem istam, et super universum populum tuum, et fac nobiscum secundum infinitam misericordiam tuam.

CAPUT XVII.

De Ministerio Sacramenti Reconciliationis

—

Erat Deus in Christo mundum reconcilians sibi, et dedit nobis ministerium reconciliationis. (*2. Cor. 5.*)

Sit timor Domini vobiscum, et cum diligentia cuncta facite, sic agetis in timore Domini fideliter, et corde perfecto: omnem causam, quae venerit ad vos fratrum vestrorum ostendite eis, ut non peccent in Dominum, quia non hominis exercetis judicium, sed Dei, et quodcumque judicaveritis in vos redundabit. [*2. Paralip. 19.*]

Noli fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates. (*Eccl. 7.*)

Sicut misit me Pater, et ego mitto vos, accipite Spiritum Sanctum quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt. (*Jo. 21. 22.*)

Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo. [*Matth. 18. 18.*]

Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere. (*ad Rom. 15.*)

Iis datum est ut potestatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis neque Archangelis datam esse voluit, neque enim ad illos dictum est quaecumque alligaveritis in terra, erunt alligata et in Coelo. (*S. Cyril. Alex.*)

Quodammodo ante diem Judicii judicant, et quod ipsi judicant, et quod ipsi judicaverint in suo tribunali, approbabitur in die Judicii. (*S. Hier. ep. ad Heliod.*)

Ministri Ecclesiae sunt dispensatores divinorum mysteriorum ergo debent habere claves, quibus aperitur ostium coeli, quod clauditur per peccatum. (*S. Th. supl. q. 17. a. 1.*)

Episcopi in probandis Confessoribus rationem habeant, ut pii, benemorati, docti, prudentes, de animarum salute solliciti, et fideles custodes sint. (*S. Car. Bor. Conc. Prov. tit. de Sacr. Poen.*)

Indocti aegros officiosissime occidunt. (*Sidon. Apollin.*)

Quam multi vocantur medici, qui curare non norunt. (*S. Aug.*)

Quam multi de vineis suis colligunt sibi spinas, et tribulos; vineis tamen dominicis se ingerere non metuunt. [*S. Bern. in Cant. serm. 20.*]

Horreo, fateor, considerans unde, et quo vocaris, praesertim cum nullum intercurrerit poenitentiae tempus, per quod utcumque hujuscemodi periculosissimus transitus fiat. Et quidem rectus ordo requirit, ut prius propriam, deinde alienas curare studeas conscientias. (*S. Bern. ep. 1. ad Brunon.*)

Qua praesumptione percussum mederi properat, qui in facie vulnus portat? (*S. Greg. P. in Past. p. 1. c. 9.*]

Quare igitur non est obducta cicatrix filiae populi mei? Eo quod non sunt Sacerdotes, quorum debeant curari medicamine. [*S. Hier. sup. verb. Jer. 8. 22.*]

Necesse est, ut esse munda studeat manus, quae diluere sordes curat, ne tacta quaeque deterius inquinet, si sordida ipsa stercoris, lutum tenet. (*Dist. 1. q. 1. c. Necesse est.*)

Sacerdos cui omnis offertur peccator, in nullo eorum sit judicandus, quae in aliis ipse debet judicare. *Dist. 6. de Poen. can. Qui vult.*)

Sacerdos sit discretus, et cautus, ut more periti Medici infundat vinum, et oleum vulneribus sauciati: diligenter inquirens, et peccatorum circumstantias, et peccata, quibus prudenter quale eis debeat consilium praebere, et cujusmodi medicamentum adhiberi, diversis experimentis utendo ad sanandum aegrotum. (*Conc. Lat. cap. omnis utriusq. sexus de poenit.*)

Confessarius meminerit se Judicis, et Medici personam sustinere, et divinae justitiae simul, et misericordiae Ministrum a Deo constitutum esse; ut tanquam arbiter inter Deum, et homines honori divino, et saluti animarum consulat. *(Rit. Rom. de Sacr. Poenit. §. 2.)*

Quid Ecclesiam Dei hodie perdit, nisi Confessariorum, et Pastorum blande adulantium? Heu, heu, ventrem meum doleo, in domo Dei horrendum vidi, Pastores Domini sui oves jugulantes, medicos populi sui aegrotos occidentes, Judices turpibus blandientes, Censores flagitia palpantes, Coecos gregem Domini dirigentes, annon horrendum hoc? Hi sunt Prophetae mendaces, in quos Dominus per Prophetas invehitur dicens: eo quod decepe-

runt populum meum, dicentes, pax, pax, et non est pax. Oh miseri! Animarum non venatores, sed interfectores: non consultores, sed deceptores, quid respondebitis Domino pro grege, quem vestris blanditiis decepistis, vestris consiliis jugulastis? *(S. Th. a Villan. ser. fer. 6. post 4. Dom. Quadr.)*

Vos pauperum causam negligitis, divitum promovetis; in illis rigorem promovetis, cum istis ex mansuetudine dispensatis; pauperes cum difficultate respicitis, divites cum favore tractatis, pauperes negligenter auditis, divites subtiliter auscultatis. *(Innoc. P. III. de contemptu mundi l. 2.)*

Non consideres vultum potentis, et cave ne, prae timore, aut culpabili indulgentia in tribunali Sanctum canibus tradas. *(Quid. Auct.)*

Sacerdos in administratione Sacramenti Poenitentiae Jesum Crucifixum in corde, aeternitatem in mente, mundum sub pedibus habere debet. *(Idem.)*

Sunt qui quasi non essent Domino rationem reddituri summa facilitate omnibus manum imponunt, sua imperitia, et superbia corrumpunt populos, et eis verae poenitentiae viam praecludunt; non enim esset hodie tanta facilitas peccandi, si non etiam tanta facilitas absolvendi. *(V. Card. Bell. in conc. 8. ter. Dom. Quadr.)*

Communicant peccatis alienis, qui absolvunt indispositos. *(Corn. a Lap.)*

Peccata populi comedunt; cur peccata populi comedere Sacerdotes dicuntur? nisi quia peccata delinquentium fovent, ne temporalia stipendia amittant. *(S. Gr. P. hom. III. in Ezech.)*

Debent Sacerdotes Domini quantum spiritus, et prudentia suggesserit pro qualitate criminum, et poenitentium facultate salutares, et convenientes satisfactiones injungere, ne si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum poenitentibus agant levissima quaedam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem prae oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novae vitae custodiam, et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritarum peccatorum vindictam, et castigationem. *(Conc. Trid. Sess. 14. c. 8.)*

Peccaret Sacerdos si non esset facilis ad praebendam licentiam confitendi alteri; quia multi sunt adeo infirmi quod potius sine confessione morerentur, quam tali Sa-

cerdoti confiterentur. Unde illi qui sunt nimis sollicití, in conscientiam subditorum per confessionem sciant, multis laqueum damnationis injiciunt, et per consequens sibi ipsis. *(S. Th. in 4. Dist. 17. q. 3.)*

Dominus loquitur adversus eos magistros, qui grandia jubent, et minora non faciunt. *(S. Her. in Matth. 23.)*

Dum poenitens confitetur, Sacerdos se exhibeat benevolum, affabilem, humanum, ut poenitens non impediatur in confessione. *(S. Th. opus. 65.)*

Si Deus benignus est, ut quid Sacerdos erit austerus? *(Can. 26.)*

Dominus Jesus Petrum poenitentem sine dilatione misericors respicit; tu quoque erga eos, qui erraverunt et revertuntur, esto suavis, et benignus. *(Quid. Auct.)*

Malitia tua mensuram habet, Dei pietas, et clementia mensuram non habet. *(S. Jo. Chrys.)*

Apis habet mellis dulcedinem, habet et aculei punctionem. Mel, et aculeum Sacerdos ille non ignorat, qui misericordiam, et judicium decantat. *(S. Bern. serm. I. de Adv.)*

Sacerdos urat non exurat, corrigat non perdat. *(S. Ambr.)*

Peccatoribus, cum accedunt ut sanentur, dicat, filii, ecce adsum, ut curem vos, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis: venite, cor contritum, et humiliatum Deus noster nunquam despicit. Venite, compungimini; et si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. *(Quid. Auct.)*

Cavenda est conscientia nimis larga, et nimis stricta. Nam prima generat praesumptionem, secunda desperationem; prima saepe salvat damnandum, secunda damnat salvandum. *(S. Bonav. t. 7. compl. theol. verit. l. 2.)*

Confessiones audire est actus heroicus, valde placens Deo, quia in hoc actu Confessarius juvat ad reducendas animas ad suum Creatorem, et ut ei reconcilientur, et hoc magis immediate quam in aliis, quia in hoc officio se homo vincit, et multas repugnantias carnis, et est cum minori mundi applausu. *(Quid. Auct.)*

Dentur idonei Confessarii, et ecce omnium fidelium reformatio. *(S. Pius V.)*

O tu praesertim, qui curam habes animarum, vide, et serio perpende qualem delictorum sarcinam super caput

tum congeras, si oves tuas ad sacrum tribunal frequenter vocare, et accedentes audire negligas; vel si audiens, sine cura, sine zelo, sine aequitate rem facias. Quid respondebis, quando ad tribunal Christi vocatus, ab illo judicaberis, et ab ovibus tuis accusaberis, dicentibus: perivimus, quia hominem non habuimus, qui nos in piscinam projiceret? *(Quid. Auct.)*

Domine Deus omnipotens, propitius esto mihi maximo peccatori: ut condigne tibi possim gratias agere, qui me indignum propter tuam misericordiam ministrum fecisti officii Sacerdotalis, et me exiguum, humilemque mediatorem constituisti ad orandum, et intercedendum ad Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum pro peccatoribus, et ad poenitentiam revertentibus: ideoque Dominator Domine, qui omnes homines vis salvos fieri, et ad agnitionem venire veritatis: qui non vis mortem peccatorum, sed ut convertantur, et vivant: suscipe orationem meam, quam fundo pro famulis, et famulabus tuis, qui ad poenitentiam venerunt, ut des illis spiritum compunctionis, ut resipiscant a diaboli laqueis, quibus adstricti tenentur, et ad te per condignam satisfactionem revertantur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

CAPUT XVIII.

De Ministerio Verbi Dei.

Noli subtrahere verbum, si forte audiant, et convertantur unusquisque a via sua mala. *(Jer. 26. 3.)*

Spiritus Domini super me evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, praedicare captivis remissionem, et coecis visum, dimittere confractos in remissionem, praedicare annum Domini acceptum, et diem retributionis . . . Et coepit Jesus dicere quia hodie impleta est haec Scriptura. *(S. Luc. 4.)*

Si evangelizavero, non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit: vae enim mihi est, si non evangelizavero. *(1. Cor. 9.)*

Misit me Christus evangelizare non in sapientia verbi, ut non evacuetur Crux Christi. *(1. Cor. 1. 17.)*

Qui bene praesunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo, et doctrina. *(1. Tim. 5.)*

Et ego cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis, aut sapientiae annuntians vobis testimonium Christi. Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. *(1. Cor. 2. 1.)*

Sollicite cura teipsum probabilem exhibere Deo operarium, inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis. *(2. Tim. 2.)*

Praedica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia, et doctrina. *(Idem.)*

Sermo meus, et praedicatio mea non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus, et virtutis. *(1. Cor. 2. 4.)*

Non enim sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur. *(2. Cor. 2. 17.)*

Haec verba Apostoli quid aliud sibi volunt, quam non satis esse quod dicimus, ut animas moveat hominum, nisi doctori divinitus adsit coelestis gratiae energia, juxta illud in Psalmo 67. 13. *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa. (Orig. sup. illa verb. Apost. ad Cor.)*

Adulterari verbum Dei est, ex eo non spirituales fructus, sed adulterinos foetus quaerere laudis humanae. *(S. Gr. P. l. 1. c. 17. Mor.)*

Non praesumam unquam in sapientia verbi ne evacuetur Crux Christi, sed Scripturarum auctoritate contentus simplicitati obedire potius studeo quam tumori. *(S. Aug. l. cont. Felician. c. 2.)*

Praedicator qui plausum quaerit, non conversionem populi, hic damnabitur, tum quia praedicationis officio ad laudem non Dei, sed suam abusus est, tum quia salutem tot animarum sibi creditam impedivit, et avertit. *(Corn. a Lap. in Luc. 6. 26.)*

Qui eloquentiae principaliter studet, homines non intendit inducere ad imitationem eorum quae dicit, sed dicentis. *(S. Th. opus. 19.)*

Haec nos patimur verborum fucos conquerentes, et compositionem elegantem, ut delectemur proximum. Conside-

ramus, quomodo videamur admirabiles, non quomodo morbos componamus. *(S. Jo. Chrys. hom. 33.)*

Quid mirum si nullum fructum faciunt plerique, qui praedicationem in eloquentiae saecularis artificio, in periodorum commensuratione, in verborum lenociniis, humanaeque rationis excursibus totam collocant? Evangelium non docent sed inventa sua. Jesum Crucifixum nesciunt, academicos oratores lubentius sibi proponunt imitandos, quam Apostolos, et apostolicos viros. Simplicitatem sermonis, non penitus Christiana destitutam eloquentia, naturali decore ornatam, non fucatam, comitetur humilitas concionatoris. Timeat ne superbia sua, gloriae humanae, plaususque captatione, ac ostentatione eloquentiae Dei opus impediat. Quo major ejus humilitas, quo minor in mediis humanis fiducia, minor eloquentiae saecularis affectatio, eo major spiritui, et virtuti Dei ad conversionem animarum locus datur. *(Natal. Alex.)*

Maxima praedicatorum turba majorem nominis sui celebrandi, quam divinae gloriae, et salutis humanae procurandae curam habent. [*Quid. Auct.*]

Omnia verba divina, quamvis rustica sint, et incomposita, viva sunt, quoniam intus habent virtutem Dei, et ideo vivificant audientem. Omnia aut verba saecularia, quoniam non habent in se virtutem Dei, quamvis sint composita, et ingeniosa, mortua sunt, propterea nec audientem salvant. (*Auct. op. imp. hom. 46.*)

· Quod luxuriat in flore sermonis hebetatur in fructu [*S. Ambr. in psal. 111.*)

Praedicatio Christi non indiget pompa, et cultu sermonis; ideoque piscatores homines imperiti electi sunt, qui evangelizarent. [*Id. in ep. ad Cor.*)

Adlaborabunt concionatores velut cymbalum tinniens, si viribus confidant eloquentiae suae, et nisi cordibus eloquatur Deus, in cujus manu sunt, et nos, et sermones nostri. Pietate magis orationum, quam oratoria facultate se aliquid posse fateantur, ut orando pro se, ac pro illis, quos sunt allocuturi, sint oratores antequam doctores. (*S. Aug. de Doct. Chr. l. 4.§. 15.)*

Non nos tonantia, et poetica verba proferimus, nec eloquentia utimur seculari sermone fucata, sed praedicamus Christum Crucifixum. (*Id. serm. 1. de acced. ad Grat.)*

Illius doctoris libenter vocem audio, qui non sibi plausum, sed mihi planctum moveat. [*S. Bern. ser. 59. in Cant.*]

Subvertit Ecclesia quod et vos non quaeritis sermonem, qui compungere possit, sed qui oblectet, quasi cantores audientes. Et idem sit ac si pater videns puerum aegrotum, illi, quaecumque oblectent, porrigat. Talem non dixerim patrem. Hoc etiam nobis accidit, flosculos verborum sectamur, ut oblectemur, non ut compungamus, et laudibus obtentis, abeamus. (*S. Jo. Chr. hom. 30 in Act.*]

Debet ad infirmitatem audientium semetipsum contrahendo descendere nedum parvis sublimia, et idcirco non profutura loquitur, magis curet se ostendere, quam auditoribus prodesse. (*S. Gr. P. l. 20. Mor. c. 2.*)

Sicut gladius ferire nequit, nisi sit nudus; nam intra vaginam constitutus, quantumvis sit acutus, non vulnerabit: ita verbum Dei ut impiorum corda vulneret, nudum esse debet, sine figurarum ornamento, aut vanae eloquentiae floribus. [*Quid, Auct.*]

Ea populo proponant, quae ad captum, et utilitatem auditorum erunt accommodata; iisque insistant, quae ad Christianam institutionem, atque ad extirpanda vitia, et virtutes inserendas valent; et a rerum sublimium curiosa tractatione se abstineant. *(Idem.)*

Oportet eum, qui instruit animas rudes, esse talem, ut pro ingenio discentium semetipsum possit aptare, et verbi ordinem pro audientis capacitate dirigere. *(Dist. 8. q. 1. c. Oportet)*

Evangelii Minister delectabit, si sit sermonis apti, facilis, ac perspicui. *(Quid. Auct.)*

Evangelice ex toto loquere quia vir evangelicus es. Sermo tuus legem redoleat, Prophetas, Apostolos. *(Gisb. Ser. 16. in Can.)*

Docente in Ecclesia te, non clamor populi, sed gemitus suscitetur. Auditorum lacrymae laudes tuae sint. *(S. Hier. ep. ad Nepot.)*

Curare Sacerdotem necesse est, quae singulis dicat, unumquemque qualiter admoneat; ut quisquis Sacerdoti jungitur, quasi ex salis tactu aeternae vitae sapore condiatur. Dicit enim Dominus vos estis sal terrae. Sal vero terrae non sumus, si corda audientium non condimus; quod profecto condimentum ille veraciter proximo impendit, qui praedicationis verbum non subtrahit. Sed tunc vere aliis recta praedicamus, si dicta rebus, et exemplis ostendimus. *(S. Gr. P. hom. 17. in Luc. 10.)*

Sicut cibus, cui sal immiscetur fit sapidus, et caro be-

nesalita non putrescit, nec foetet, ita sit et sermo vester, ut quasi cibus sapidus recipiatur; ab ore cordis audientium, non sit insipidus per insipientiam, nec putridus per admonitionem carnalis delectationis, nec corruptus per admixtionem falsitatis, sed semper sale spiritualis sapientiae conditus, et integritate veritatis incorruptus, atque odorem coelestis, et incorruptibilis delectactionis spirans; et ita condimentum Domini salis habeat sermo vester. *(S. Anselm.)*

Admonere possumus per strepitum vocis nostrae, si non sit intus qui doceat, inanis fit strepitus noster. *(S. Aug. tr. 3. in 1. Jo.)*

Ea quae dicturi sunt, diligenti praemeditatione, et peculiari ad Deum recursu paranda erunt. *(Quid. Auct.)*

Nisi intus sit qui doceat, doctoris lingua exterius in vanum laborat. *(S. Gr. P. hom. 30. in Ev.)*

Apostolus Timotheum instruens qualem in ministerium verbi Dei eligere deberet dicit: non neophytum, ne elatus, in superbiam incidat, et in laqueum diaboli. Idipsum confirmat exemplo suo Redemptor noster, qui cum in coelis sit conditor, et ostensione suae potentiae semper doctor Angelorum, ante trigesimum aetatis suae annum in terra magister noluit fieri hominum, ut videlicet, praecipitatis vim saluberrimi timoris infunderet, cum ipse etiam, qui labi non posset, perfectae vitae gratiam nonnisi perfecta aetate praedicaret. *(S. Greg. P. in Past.)*

Dispensatio coelestis seminis nobis credita. Vae si non sparserimus! Vae si tacuerimus! Vae nobis, qui ministerii opus suscepimus; si Domini veritatem, quam Apostoli praedicaverunt, praedicare neglexerimus! *(S. Nicol. P. ep. ad Mich. Imp. Dist. 43.)*

Fructus terrae absque pecunia comedere, est, ex Ecclesia quidem sumptus accipere, sed eidem Ecclesiae praedicationis officium non praebere. *(S. Gr. P. l. Moral. 22. c. 16.)*

Non debent cessare a monitione, et praedicatione Sacerdotes, nam propter amorem, et voluntatem aequali sunt digni mercede, quamvis pauci vel nulli convertantur. *(Quid. Auct.)*

Non oportet, ut Sacerdotes in Ecclesia taceant, sed audiant Dominum dicentem: clama ne cesses. *(S. Aug. de temp. 126.)*

Canes latrant pro dominis suis, tu me non vis latrare

pro Domino meo! mori possum, tacere non possum. *(S. Hier. contr. Ruf.)*

Illi qui prodesse utilitati proximorum in praedicatione refugiunt, si districte judicentur ex tantis rei sunt, ex quantis venientes ad publicum prodesse potuerunt. *(S. Gr. P. in Past. p. 1.)*

Constat, quia majus miraculum est praedicationis verbo peccatores convertere, carne mortuum suscitare. *(Id. Dial. l. 3. c. 17.)*

Sicut per martyrium, et virginitatem victoriam aliquis obtinet de mundo, et de carne, ita victoria contra diabolum obtinetur quando aliquis expellit eum ab aliis per praedicationem, et doctrinam; et ideo doctrinae, et praedicationi debetur aureola. *(S. Th. suppl. q. 96. a. 7.)*

Licet unus auditurus sit, audiat: non enim exiguum est unam ovem servare, quandoquidem et pastor ille, qui nonaginta reliquerat oves ad unam cucurrit, quae aberraverat. Hominem non contemno, licet unus sit homo. *(S. Jo. Chrys. hom. 6. ser. 5.)*

Circa instructionem populi duo sunt necessaria, scilicet doctrina, et vita pura, ut doceat populum verbo, et opere; aedificet exemplo: non enim sufficit vita bona sine doctrina: nec iterum sufficit doctrina sine vita. *(S. Th. opusc. 65. de Offic. Sacerd.)*

Memento dare voci tuae vocem virtutis. Quid illud inquis? Ut opera tua verbis concinant, et cures prius facere, quam docere. *(S. Bern. ad Balduin. Ab.)*

Per eos qui docent, et non faciunt, Deus blasphematur. *(S. Jo. Chr. hom. 3. in Act.)*

Semper in ore habent Evangelium, cum tota eorum vita discrepet ab Evangelicis praeceptis. *(S. Cypr.)*

Efficacius est vitae quam linguae testimonium, habent et opera suam linguam, tacente lingua. *(Idem.)*

Illa vox libentius auditorum cor penetrat quam dicentis vita commendat: quia quod loquendo imperat, ostendendo adjuvat, ut fiat. *(S. Gr. P. in Past. p. 2. c. 3.)*

Cujus vita despicitur, quid restat, nisi ut ejus praedicatio contemnatur? *(Idem.)*

Antequam verba praedicationis insonent, omne quod locuturi sumus operibus clament. *(Idem.)*

Corda audientium plus exempla quam verba excitant. *(Id. l. 2. hom. 39.)*

Validiora sunt exempla quam verba, et plenius est opere docere quam voce. *(S. Leo. P.)*

Praedicator quisque plus actibus, quam vocibus insonet, et bene vivendo vestigia sequacibus imprimat, quam loquendo, quo gradiantur, ostendat. *(S. Gr. P. in Past. 3. p. c. 6.)*

Qui alium de peccatis arguit, ipse a peccato debet esse alienus. Nam qua fronte subjectos arguere poterit, cum illis statim possit correctus ingerere? *(S. Isid. l. 2. Offic. c. 5. ad Fulgen.)*

Primitus semetipsum corrigere debet, qui alios ad bene vivendum admonere studet; ita ut in omnibus semetipsum formam vivendi praebeat, cunctosque ad bonum opus, et doctrina, et opere provocet. *(Idem.)*

Si non habueris opus bonum, non solum non proderis loquendo, sed etiam plus nocebis, utiliusque foret tacere, quia opus mihi proponis ac si impossibile foret. *(S. Jo. Chr. hom. 30. in Act.)*

Indecens si reprehensibilis sit repraehensor, unde sufficit, ut non sit subjectus peccato, ut ab aliis repraehendi possit. *(S. Th. in ep. 1. ad Tim.)*

Ille justus repraehensor est, qui non habet, quod in illo repraehendatur. *(S. Aug. in Ps. 50.)*

Non confundant opera tua sermonem tuum, ne cum in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat, cur haec quae dicis, ipse non facis? Delicatus magister est, qui pleno ventre de jejuniis disputat. Accusare avaritiam et latro potest. Sacerdotis Christi os, mens, manusque concordent. *(S. Hier. ep. ad Nepotian.)*

Sacerdos cui dispensatio verbi divini commissa est, etsi sancte vivat, tamen perdite viventes arguere aut erubescat, aut metuat, cum omnibus, qui eo tacente perierunt perit. Et quid ei proderit non puniri suo, si puniendus alieno peccato. *(S. Prosp. de vit. cont. l. 1. c. 20.)*

In docendo tales nos esse convenit, proinde ac si pro gloria Dei, ipso audiente, loqueremur. *(S. Basil. in moral. c. 23.)*

Gestus corporis sit modestus, et in quo gravitas quaedam ecclesiastica praecipue eluceat: vocemque accomodent ad res, quas tractabunt: proinde eam, ubi non est opus, ne praeter modum extollant, aut deprimant. *(Quid. Auct.)*

Praedicator lacrymas, quas vult a suis auditoribus fun-

di, ipse primitus fundat, et sic eos compunctione sui cordis accendet. *(Julian. Pomer. de vit. contempl. l. 1. c. 20.)*

Qui non castigant corpus suum, et volunt aliis praedicare, ipsi reprobi habentur. *(S. Ambr. ep. ad Eccl. Vercel.)*

Docere absque operibus, condemnat docentem. *(S. Jo. Chr. hom. 17. in Matth.)*

Male vivere, et bene docere nihil aliud est, quam semetipsum propria lingua damnare. *(S. Prosp.)*

Qui bene docet, et male vivit, videtur, ut caereus aliis dum bona exponit lucem praestare, se vero in malis suis consumere, atque extinguere. *(S. Isid. Hispal. l. 3. Sent. c. 36.)*

Bene vivendo, et bene docendo populum instruis quomodo debeat bene vivere. Bene autem docendo, et male vivendo, Deum instruis quomodo te debeat condemnare. *(Auct. Op. Imp. in Matth. hom. 43.)*

Qua ergo fronte enarras justitias Dei, cum ipse oderis disciplinam? Ejice, hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam fratris tui. Sis quidem potens in sermone, sed in opere potentior; validior est enim vox operis, quam vox oris. *(S. Bern.)*

Quot concionatores apud inferos cruciantur, qui plus habuerunt vel copiae, vel leporis in dicendo, quam ego, pluresque a scelerata vita ad piam, honestamque traduxerunt? Sed heu quoniam elatione, et arrogantia insolentes divina dona non Deo retulerunt accepta, sed vindicarunt sibi, in opprobrium, et exitium sempiternum praecipites ruerunt! Quid eis nunc superbia prodest? Nonne idem et mihi, gloriam meam quaerenti, imminet opprobrium, imminet et idem exitium? Quid mihi tunc proderit jactantia? *(S. Franc. Xav.)*

—

Domine Jesu, qui es principium, et finis, averte oculos meos, ne videant vanitatem; non nobis, Domine, non nobis, qui nihil sumus, sed tibi, a quo descendit omne donum perfectum, et in quo omnis nostra sufficientia est, da gloriam: adhaereat lingua mea faucibus meis, si tui, soliusque gloriae tuae non meminero. Adjuva me, Deus salutaris meus; si enim a me discesseris, te gloria tua defraudabo, quod absit. Volo sacrum hoc ministerium peragere ut tibi placeam, et gloriam tuam procurem, tuum-

que beneplacitum exequar; et ideo quantum perfectius potero, illud exercere volo.

CAPUT XIX.

De Oratione, et Psalmodia.

Rogante pro eis Sacerdote, propitius erit eis Dominus. *(Levit. 4. 20.)*

Nos vero orationi, et ministerio verbi instantes erimus. *(Act. 6. 4.)*

Sacerdoti pro populo semper orandum est. *(S. Hier.)*

Sacerdotibus et orandi et sacrificandi juge officium est. *(Innoc. P. I. ep. ad Exup.)*

Sacerdotes die ac nocte pro plebe sibi commissa oportet orare: mundiores ergo debent esse caeteris, quia actores Dei sunt. *(S. Ambr. l. off.)*

Talem esse oportet Sacerdotem Domini, ut quod populus pro se apud Dominum non valet, ipse pro populo mereatur quod proposuerit, impetrare: quia scriptum est; si peccaverit populus, orabit pro eo Sacerdos. *(S. August. de civ. Dei)*

Divino Sacerdotio, et in Clerico ministerio constituti, non nisi altari, et sacrificiis deservire, et precibus, atque orationibus vacare debent. *(S. Cypr. ep. 66.)*

Orandi studium, et usum habeant, ac de omni re orationi plus fidant, quam suae industriae, vel labori. *(S. Bern. l. 4. de Consid.)*

Utilis est eruditio Pastoris, sed multo magis oratio necessaria, quippe quae sola docet scire de omnibus. *(Idem.)*

Vere novit recte vivere, qui recte novit orare. *(S. Aug. hom. 4.)*

Cur non illa tempora, quibus ab Ecclesia vacas, lectioni impendas? Cur non Christum revisas? Christum alloquaris? Christum audias? Illum alloquimur, cum oramus; illum audimus, cum divina legimus oracula. *(S. Ambr. l. 1. Offic. c. 20.)*

In omni in primis sancta oratione vos assidue exercete, tum in meditationis, tacitaeque piae orationis studio singulis diebus, certo temporis spatio, toto castissimi animi sensu incumbite. *(S. Car. Bor. in Syn. Med. Prov. 4. p. 3. c. 7.)*

Assidue, et devote orare, sicut et lectioni perfecte intendere sunt opera Clericorum. *(Syn. Ling. a. 1404.)*

Arma Clericorum orationes, et lacrymae. *(Syn. Senon. a. 1524.)*

Presbyterorum officium in orando Deum pro totius Ecclesiae, et populi christiani prosperitate situm est. *(Syn. Colon.)*

Oret Sacerdos Ecclesiae indesinenter, ut vincat populus, qui sub ipso est, hostes invisibiles, qui sunt daemones, impugnantes eos, qui pie volunt vivere in Christo Jesu. *(Dist. 36. c. Si quis vult.)*

Ipsi Sacerdotes quanto digniores fuerint, tanto facilius pro necessitatibus exaudiuntur. *(Decr. I. q. 1. c. 91.)*

Quid sit pietas quaeris? Vacare considerationi. *(S. Bern. l. 1. de Cons. c. 7.)*

Nunc autem quoniam dies mali sunt, sufficit interim admonitum esse, non totum te, nec semper dare actioni, sed considerationi aliquid tui, et cordis, et temporis sequestrare. Hoc autem dico Necessitatem intuens, non aequitatem. *(Idem l. 1. de Consid. c. 6.)*

Non dubites Ecclesiarum Principes vitae contemplativae posse, et debere fieri sectatores. *(S. Prosp. de vit. contempl. l. 1. c. 13.)*

Ipsum fontem suum, idest mentem, de qua oritur, purificat consideratio. Deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat, et ordinat. *(S. Bern. l. 1. de Cons.)*

Nec sic quisque debet esse otiosus, ut in eodem otio utilitatem non cogitet proximi, nec sic actuosus, ut contemplationem non requirat Dei. Otium sanctum quaerit charitas veritatis: negotium justum suscipit neces itas charitatis. *(S. Aug. de Civ. Dei l. 19. c. 19.)*

Habet activa profectum, contemplativa fastigium; haec facit hominem sanctum, illa perfectum. *(S. Prosp. de vit. contemplat. l. 1. c. 12.)*

Duo sunt genera Christianorum, est autem aliud genus, quod mancipatum Divino Officio, et deditum contemplationi, et orationi ab omni strepitu temporalium cessare convenit, ut sunt Clerici etc. aliud vero genus est, ut sunt laici etc. *(S. Hier. ad quemd. Levit. refer. 12. q. 1. c. duo sunt.)*

Ad Ecclesiastica Officia cum devotione ibi standum, et iis quae dicuntur mens intendat. *(Innoc. P. III. c. Dolentes.)*

Stricte praecipimus in virtute sanctae obedientiae, ut Divinum Officium nocturnum, et diurnum studiose celebrent, et devote. *(Idem.)*

Divinum Officium imitatio coelestis concentus. *(S. Bonav. de sex. alis Seraph. c. 8.)*

Quid beatius, quam hominem in terram concentum Angelorum imitari; in hymnis, et canticis Creatorem laudare? *(S. Basil. ep. 1. ad Greg.)*

Dum psallimus Deo sacrificium laudis offerimus. *(S. Petr. Dam. op. 45 c. 22.)*

Cogita apud quem proxime stes, quibuscum invoces Deum, scilicet cum Cherubim, cum Seraphim, cum omnibus Coeli virtutibus: animadverte quos habeas socios. *(S. Jo. Chr. hom. 4.)*

Certe si nos quoque cum psalmos recitamus, cogitaremus, vel intelligeremus ab Angelis Sanctis videri, et audiri, et nostram attentionem, et devotionem laudari; vel contra evagationes, et negligentiam reprehendi, profecto longe aliter caneremus, quam nunc facimus. *(V. Card. Bellar.)*

In Divinis Officiis ardeat affectus, clamet vox, vigilent oculi, et vita concordet, ut merito dicere valeamus; In conspectu Angelorum psallam tibi. *(S. Laur. Just. de Dis. et Perf.)*

Qui septies in die laudes proferunt Creatori, studeant labia habere impolluta, corpora casta, et immaculata corda, ut jucunda, grata, decoraque sit laudatio. *(Idem.)*

Inter omnes exteriores observantias major debet diligentia Divino Officio adhiberi, ut ordinate fiat, strenue, et devote: alia enim tempora facimus pro Deo, in hoc autem assistimus Deo, et intendimus Deo, et alloquimur eum, et nos ipse simul; et pro nostris necessitatibus ejus auxilium postulamus. *(S. Bonav. de sex. alis Seraph. c. 8.)*

Magna animi attentione se ad verba, sententiasque psalmi accomodet, ita ut laudet, gemat, extimescat, sicut psalmorum voces indicant, et quod ore profert, animo primum concipiat. *(S. Car. Bor. Conc. Med. 5.)*

Si orat psalmus orate, si gemit gemite, et si gratulatur gaudete, et si sperat sperate: omnia enim quae hic scripta sunt speculum nostrum sunt. *(S. Aug. in ps. 30.)*

Psalmis, et hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in ore. *(Idem.)*

Omnes quoque Psalmorum affectus in se recipiens ita

incipiat decantare ut eos non tanquam a Propheta compositos, sed velut a se editos, quasi orationem propriam; profunda cordis compunctione depromat. *(Cassian. collat. 10. c. 10.)*

In Officio curanda magnopere reverentia, et honestas, cum ubique sit eadem, cui tunc loquimur, et adstamus, Deitas, et Majestas. *(S. Bonav. spec. discipl. p. 1. c. 15.)*

Distincte, integre, continue, reverenter, ordinate, cum timore, et humilitate tanquam Deo visibiliter praesente psallant. *(Idem.)*

Studeant oratione devota, et recollectione animi interna Divinum praevenire Officium. *(Idem.)*

In unione orationum, ac meritorum Christi Jesu, gratiam ad Officium debitam persolvendum petant. *(Idem.)*

Virili ut dignum est, sonitu, et affectu voces Sancti Spiritus depromentes. *(S. Bern. serm. 47, in Cant.)*

Strenue interessentes divinis laudibus non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non praecidentes verba dimidia, non integra transilientes. *(Idem.)*

Officium debet dici reverenter, quantum ad compositionem corporis: distincte, quantum ad pronuntiationem oris: et devote, quantum ad mentis elevationem. *(Fagn. in cap. Dolentes 9. n. 39. de celebr. Mis.)*

Quam multi sonant voce, et corde muti sunt, et quam multi tacent labiis, et clamant affectu; quia ad cor hominis aures Dei. Sicut aures corporales ad os hominis, sic cor hominis ad aures Dei. Multi clauso ore exaudiuntur, et multi in magnis clamoribus non exaudiuntur. Affectibus orare debemus. *(S. Aug. in Ps. 119.)*

Quid prodest strepitus oris muto corde? *(Idem tr. 9. in Joan.)*

Quid prodest quia hymnum cantat lingua tua, si sacrilegium exhalat vita tua? *(S. Aug.)*

Si lingua quidem proferat verba, mens autem foris sit sua tractans negotia, major condemnatio. *(S. Jo. Chr. hom. 30. in Gen.)*

Si cor non orat in vanum lingua laborat. *(Quid. Auct.)*

Magnam injuriam Deo facio cum deprecor illum, ut mihi intendat, et ego nec mihi, nec illi intendo. *(S. Aug. in l. med. c. 8.)*

Mens concordare debet cum voce, ut impleatur illud Apostoli; psallam et mente. *(Conc. Aquisgr. l. 1. c. 132.)*

Aspice cytharaedos, antequam citharizent, instrumenti

cordas praevia dispositione componunt; alias nil nisi confusum et obstrepentem sonum daturas. Sic mentem tuam compone. Dic cogitationibus inanibus, et alienis; manete hic, donec oravero; ubi opus Dei implevero, si indigeam vobis, iterum vos assumam. *(Quid. Auct.)*

Terreno Sacerdoti coelestium meditatio, afflictio est; piae exercitationes, taedium; officii recitatio, onus; illas leviter omittit; hoc festinanter et perfunctorie persolvit. *(Idem.)*

Lectionem cantus, qui firmus dicitur, idest planus omnes quotidie adeant. *(Act. Eccl. Med. p. 5. c. 4. tit. de cantu.)*

Cum ad cantum pium, et gravem tenearis, necesse est, ut ad illum te assidue exerceas. Ipsi sutores ad artem suam, quamvis infimam, non admittuntur, nisi ad illam se diu exercuerint, et nisi illius post probationem periti agnoscantur; tu autem, qui Angelico ministerio te mancipasti, ecclesiasticum cantum studiose addiscere negliges? Proh pudor! esses a choro eliminandus; quia cantus inscius, et inordinato cantandi modo Deum inhonoras, populo taedium affers, eumque a divinis avertis. *(Quid. Auct.)*

Scias et tu cantum; illumque quantum talenta permiserint, callebis, ut virili sonitu, et affectu voces Sancti Spiritus depromens, ad flammam pietatis animos ardentius movens, suavitate lectionis, ac melodiae doctos demulcens, et minus doctos erudiens, et ut ipse convenientissima modulatione commotus, canticum novum ante sedem Agni cantare possis. *(Idem.)*

Cantibus ad affectum Dei mentes fidelium excitantur. *(S. Isid. de Off. Eccl. l. 2. c. 12.)*

Omnes Clerici tempore Divini Officii, dum alte cantatur, cum cantoribus se immisceant, et cantent simul. *(Syn. Carnot. a. 1526.)*

Omnes Clerici non muta, et clausa labia habeant, sed in psalmis, et canticis Deo modulentur. *(Idem.)*

Omnes tenentur in choro ad psallendum instituto hymnis, et canticis Dei nomen reverenter, et distincte, devoteque laudare. *(Conc. Trid. Sess. 24. c. 12.)*

Cantus, et soni graves sint, et pii, ut ad pietatem auditores excitentur. *(Conc. Med. 1. p. 2. tit. 51.)*

Attente, studiose, rite, pie, religiose divinas laudes concelebrate, et non mente vaga, non vagis oculis, non indecenti corporis statu. *(Conc. Med. 4. in Monit.)*

Verborum prolatione non praecipiti, vel inarticulata, sed integra, ac certis quibusdam caesuris, et intervallis distincta. *(Syn. Tun. a. 1582.)*

Non gutture, vel inter dentes, seu deglutiendo, et sincopando dictiones, vel verba. *(Conc. Basilens. Sess. 22. c. Qualiter.)*

Psallens Deo tuo, ante cujus conspectum stas, psalle sapienter; idest non cursim, non perturbate, non oscitanter, sed leniter, distincte, ac studiose; non ad vanam gloriam, et popularem adulationem: sed ad gloriam Dei, et populi aedificationem: canta Domino, canta canticum, idest, pie, graviter, strenue, et religiose, ut in omnibus honorificetur Deus, ac dirigatur oratio tua sicut incensum in conspectu ejus. *(Quid. Auct.)*

Ne unquam Chorum ingrediaris, nisi Chori vestibus indutus, non quidem sordidis, et laceratis, aut vanitatem redolentibus, sed mundis, decoris, et modestis. Dum superpelliceum induis, cogita quam personam sustineas, nempe a sordibus, labeque puram, qualem vestibus illis indicas. *(Idem.)*

Cum in Choro fueris, gravitatem serva, quam locus, et officium exposcit. *(Conc. Senon.)*

Ne properanter in Chorum, quasi distributionum quaestu incitatus, accedas, sed gravi incessu. Pro temporis, et officii ratione ex instituto, et more Ecclesiae sede, sta, flecte genua, caput aperi, submitte, caeteraque hujus generis adhibeas. *(Conc. Med. 4.)*

Cave, ne confabuleris, nec rideas in Choro, nec ibi sis somnolentus, nec vageris oculis, nec litteras, libros, aliave scripta legas; incomposito situ ne stes, aut sedeas, ne huc illuc movearis. *(Conc. Aquens.)*

Ne Horas Canonicas privatim absolvere audeas, sed concinne, ac una cum Fratribus Deum honorifica: contrarium faciens, tanquam absens habendus es. *(Conc. Trev.)*

Cave, ne ex Choro exeas, nisi persolutis horis; et in genua ante Dominum pronus, eum adora, ac enixe roga, ut animi tui divagationes, caeterasque culpas tibi ignoscere dignetur, et ut ad orationem te deinceps alacriorem, et ferventiorem efficere velit. E templo egrediens, ambula coram Deo; da operam, ut sis homo ubique internus ad orationem semper paratus. *(Quid. Auct.)*

Expletis canonicarum horarum officiis, si quid in illis aut negligentia, aut alia culpa commiseritis, paululum colli-

gentes vos, veniam a Deo petite. *(S. Car. Bor. in Syn. Med. Prov. 4. p. 3. c. 7.)*

—

Domine, ne possum quidem dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto: quomodo possem orare sine gratia tua? Doce me igitur orare; labia mea tu ipse aperi, et os meum annuntiabit laudem tuam. Emitte Spiritum tuum, Spiritum orationis, et precum; ut non fiam in conspectu tuo sicut aes sonans, et cymbalum tinniens. Domine, vis et jubes ut laudet te anima mea, et psallam tibi quamdiu fuero: da mihi quod jubes, et jube quod vis.

EXHORTATIO AD PSALLENTES

Cum Domino psalles, psallendo haec omnia serves:
Dirige cor sursum, bene profer, percipe sensum.
Spires in medio, pede juncto, deprime vultum.
Versus posterior videat finem anterioris.
Non vox, sed votum, non consona musica sed cor,
Non clamor, sed amor, Domini pertingit ad aures.

CAPUT XX.

Quomodo se gerere debet Sacerdos in Ecclesia.

—

Pavete ad Sanctuarium meum. *(Lev. 26.)*

Cum christianae pietatis rationi alienum sit ad ornatum templorum adhiberi ea, quae non modo religionem non excitant, sed intuentium mentes illiciunt in foedas, turpesque cogitationes: id propterea caveant, ne quis ad ea ornanda peristromatis, auleisque utatur, quae obscoenis signis intexta sint: neque item pictas imagines, et signa adhibeat, quae vel Ethnicorum hominum, vel aliarum rerum loci sanctitati repugnantium formam, ac speciem praeseferant. *(S. Car. Bor. l. 1. Const. Syn. n. 26.)*

Omnes in templo ita se componant, ut ibi non cum homine, sed cum Deo rem esse intelligant. *(Conc. Rehem. 1583. de cult. div.)*

Dum eo loco estis, non pigri, non somnolenti, non o-

scitantes adestote, non vagis oculis, non indecenti corporis statu. *(Conc. Mediol. tit. Monit.)*

Chirothecas non ferant cum superpelliceo. *(Syn. Nocerin. 1606.)*

Superpelliceis utantur, quae non lacera sint, non sordida. *(Conc. Med. 4. de vit. et hon. Cler.)*

In Ecclesia quo tempore superpelliceum induere non debent, ne sint sine toga exteriori. *(Conc. Med. 4. de vit. et hon. Cler.)*

Deambulationes, et colloquia in Ecclesiis omni tempore interdici omnes intelligant. *(Conc. Burdig. a. 1583.)*

In Sacristia ipsa silentium accurate servetur. *(Conc. Aquens. a. 1583.)*

Sit ad Ecclesias humilis, et devotus ingressus; sit in eis quieta conversatio, Deo grata, inspicientibus placita, quae considerantes non solum instruat, sed et reficiat. Convenientes ibidem nomen illud, quod est super omne nomen, a quo aliud sub coelo non est datum hominibus, in quo salvos fieri credentes oporteat, nomen videlicet Jesu Christi, qui salvum faciet populum suum a peccatis eorum, exhibitione reverentiae specialis attollant, et quod generaliter scribitur, ut in nomine Jesu omne genuflectatur, singulariter in ipsis implentes, praecipue dum aguntur Missarum Sacra Ministeria, gloriosum illud nomen quandocumque recolitur, flectant genua cordis sui, quod vel capitis inclinatione testentur. Attendantur in locis eisdem intentis praecordiis sacra solemnia; devotis orationibus insistantur. Nullus in locis eisdem, in quibus cum pace, ac quiete vota convenit celebrari, seditionem excitet, conclamationem moveat, impetumve committat. Cessent in locis illis Universitatum, et Societatum quarumlibet concilia, conciones, et publicae allocutiones. Cessent varia, et multo fortius foeda, et profana colloquia. Cessent cujuslibet generis confabulationes. Sint postremo quaecumque alia quae divinum possunt turbare officium, aut oculos Divinae Majestatis offendere, ab ipsis prorsus extranea, ne ubi peccatorum est venia postulanda, ibi peccandi detur occasio, aut deprehendantur peccata committi. Cessent in Ecclesiis, earumque coemeteriis negotiationes, et praecipue nundinarum, ac fori cujuscumque tumultus. Omnis in eis saecularium judiciorum strepitus conquiescat: nulla ibi causa per laicos, criminalis maxime, agitetur: sint loca eadem a laicorum cognitionibus aliena.

Vos autem, qui despicitis mensam, et sanctuarium Domini, qui per audaciam frontis, levitatem oculorum, arrogantiam gressuum, incuriam rituum, celeritatem sacrificiorum, plebem ejus scandalizatis, quousque tandem inhonorabitis eum? Quousque fidem, et pietatem populi ejus conculcabitis? Quousque clamabunt oves ejus in indignatione sua: ubi est Deus eorum? Ergone credibile est, quod ipse super altare eorum descendat? Ergone credibile est quod illos, qui templum suum violaverint, disperdat?

Deus ultionum Domine, Deus ultionum! O si scelestis illis retributionem redderes, deponeres illos, protector meus Domine: venirent super illos mala quae super Nadab, et Abiu ceciderunt: egrederetur ignis de tabernaculo tuo, et devoraret eos, et morerentur coram te! Fidem auferunt viventes: fidem adstruerent morientes. Ne irasceris, quaeso, Domine: ne in furore tuo sic corripias eos. Sed intona misericors de coelo. Audiant de ore tuo: Saule, Saule, quid me persequeris? et redeant tandem isti praevaricatores ad cor.

CAPUT XXI.

De Scientia.

Labia Sacerdotum custodiunt scientiam, et legem requirent populi de ore eorum. *(Malac. 2.)*

Conticuit populus meus eo quod non habuerit scientiam: quia tu scientiam repulisti, repellam te ne Sacerdotio fungaris mihi. *(Os. c. 4. 6.)*

Ubi non est scientia animae non est bonum. *(Prov. 19. 2.)*

Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam. *(Is. 56. 11.)*

Si quis autem ignorat, ignorabitur. *(Jer. 2. 8.)*

Si bene direxeritis studia vestra habitabo vobiscum. *(Idem. 7. 5.)*

Si coecus coeco ducatum praebeat, ambo in foveam cadunt. *(Matt. 15. 14.)*

Attende tibi, et doctrinae; insta in illis, hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt. *(1. Tim. 4.)*

Incipiat oratio, studium succedat orationi. *(S. Hier.)*

Tam vita quam doctrina clarere debet Sacerdos; nam doctrina sine vita arrogantem reddit; vita sine doctrina inutilem facit. *(S. Isid. Hispal. l. 3. Sent. c. 36.)*

Oportet Sacerdotem non tantum docere, sed et discere. *(S. Cypr. ep. 74.)*

Si Sacerdos est sciat legem Domini; si ignorat legem, ipse se arguit non esse Domini Sacerdotem. Sacerdotis enim est scire legem, et ad interrogationem respondere de lege. *(S. Hier. in c. 2. Aggaei.)*

Discamus Sacerdotem doctum esse debere. *(Idem.)*

Pastores autem, et Doctores puto esse sicut et tibi visum est, ut non alios Pastores, alios Doctores intelligamus, sed ideo cum praedixisset Pastores subjunxisse Doctores, ut intelligerent Pastores ad officium suum pertinere doctrinam. *(S. Aug. ep. 53. ad Paulin.)*

Quomodo in pascua divinorum eloquiorum educet gregem Domini Pastor idiota? *(S. Bern. in Cant. serm. 46.)*

Quid enim periculi sit, ubi non invenit Pastor pascua, ignorat Dux itineris viam, Vicarius nescit Domini voluntatem, Ecclesia quotidie multipliciter, et miserabiliter experitur. *(S. Bern. in declam. c. 6.)*

Non tibi imputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quaerere quod ignoras. *(S. Aug. de lib. arb. l. 3. c. 19.)*

Boni Sacerdotis conversatio sine verbo, tenet quidem sanctos in sanctitate per suum exemplum, adducere autem ignorantem ad scientiam non potest. *(S. Jo. Chr. hom. 10. in Matth.)*

Ipse timor Domini, nisi sit secundum scientiam nihil prodest, imo obest plurimum. Sunt etiam in nobis, qui habent timorem Dei, sed non secundum scientiam, statuentes duriora praecepta, quae non possit humana conditio sustinere. Timor in eo est, quia videntur sibi consulere disciplinae, opus virtutis exigere. Sed inscitia in eo est, quia non compatiuntur naturae, non aestimant possibilitatem. *(S. Ambr. Comm. in ps. 118. serm.)*

Vides quantum inter se distent justa rusticitas, et docta justitia; alii stellis, alii coelo comparantur. Sancta rusticitas solum sibi prodest, et quantum aedificat ex vitae merito, tantum nocet si destruentibus non resistat. *(S. Hier. ep. ad Nep.)*

Si Clericatus te titillat desiderium disce quod possis do-

cere, ne miles antequam tyro, ne prius magister sis, quam discipulus. *(Idem.)*

Si in laicis videtur intolerabilis inscitia, quanto magis in iis, qui praesunt, nec excusatione digna est nec venia. *(S. Leo. P. ep. 20.)*

Illiteratos nullus praesumat ad Clericatus Ordinem promovere, quia litteris carens sacris non potest esse aptus officiis. *(S. Gelas. P.)*

Sicut iniqui, et peccatores ministerium assequi Sacerdotale prohibentur, ita indocti, et imperiti a tali officio retrahuntur. *(S. Isid. ap. Grat.)*

Suscipiens Ordinem praeficitur ad pellendam ignorantiam in plebe. *(S. Th. sup. p. 3. n. 35. a. 1.)*

Sit ejus doctrina duplex, ut verbis facta conveniant, actus doctrinae respondeant. *(S. Jo. Chrys. hom. de eo qui inc. in lat.)*

Sacrarum litterarum studia diligentius colite, quae usque adeo complecti debetis, ne qui aspernetur, contra eum dicat Dominus: *Quia tu scientiam repulisti, et ego repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi. (S. Car. Borr. Conc. Prov. IV. p. 3. tit. Monit.)*

Lectione librorum spiritualium, et clericalium, qui probati sunt, animos, mentesque vestras pascite. *(Idem.)*

Quatuor praesertim locos ex Catechismi Romani doctrina: de duodecim Fidei Articulis, de septem Sacramentis, de decem Praeceptis, de Oratione Dominica in promptu, atque explicate habere omni studio contendite. *(Idem.)*

Ne Clerici apud se libros habeant, aut legant, quorum lectione bene agendi studium, morum disciplina, et timor, charitasque Dei languescere possit: quales libri sunt, qui res vel inanes, vel jocosas, vel scurriles, ridiculasve, vel impuras continent. *(Idem. Conc. Prov. IV. p. 3. tit. de vit. et hom. Cler.)*

Vae Clerico indocto, et sine libris, qui sibi, et aliis saepe est causa erroris. Nam Clericus sine libris est miles sine armis, navis sine remis, avis sine alis, et ascensor sine scalis, et caecus sine ductore. *(Kemp. c. 7. n. 2.)*

Sit doctrina tua spiritualis medicina populo Dei: sit odor vitae tuae delectamentum Ecclesiae Christi, ut praedicatione, atque exemplo edifices Domum, idest Familiam Dei. *(S. Eccl. in Ord. Presb.)*

In Sacerdote non solum ea cognitio requirenda est quae ad Sacramentorum usum, et tractationem pertinet, sed e-

tiam sacrarum litterarum scientia ita instructum esse oportet, ut populo Christianae fidei mysteria, et divinae legis praecepta tradere, ad virtutem, et pietatem excitare, a vitiis revocare fideles possit. Sacerdotis enim duo sunt muneri: quorum alterum est, ut Sacramenta rite conficiat, et administret: alterum ut populum fidei suae commissum iis rebus, et institutis, quae ad salutem necessaria sunt, erudiat. *(Cat. Rom. de Sac. Ord.)*

Oportet ut Ecclesiastici viri sacris praesertim institutis imbui se curent, retineantque apud se libros, non tamen quoscumque, sed probatissimos, quibus catholica dogmata, canonicum jus, historia ecclesiastica, et liturgiae res exponuntur. *(Quid. Auct.)*

Rectam in studiis intentionem habere conentur Clerici nihil aliud in his, quam divinam gloriam, animarumque fructum quaerentes, ac in suis orationibus gratiam, ut in doctrina proficiant crebro petant. *(Idem.)*

Ut Sacerdotes in scientia proficiant, necesse est ut prius orationis praesidio se muniant, effusisque precibus a Deo lumen implorent. *(Idem.)*

Hoc vero procul dubio animadvertendum est, quam gravia ex ignoratione Sacerdotalis Officii accidant mala puta temeratio Ecclesiasticae Ordinationis, coeremoniarum violatio, Sacramentorum profanatio sacrilega suo effectu cassa aliquando eorundem collatio, privatus sua expectatione populus, christianae religionis deformatio, animarum ruina. *(Idem.)*

Ignorantia cunctorum, mater errorum, maxime in Sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. *(Can. Ignorantia Dist. 38.)*

Elaborandum est Sacerdotibus, ut ignorantiam a se quasi pestem quandam abiiciant. *(Dist. 37. c. Ideo. §. Ut itaque.)*

Qui ea, quae Dei sunt, sapiunt, a Domino sapiuntur: et qui ea, quae Dei sunt, nesciunt, a Deo nesciuntur, Paulo attestante: Si quis ignorat, ignorabitur. *(C. Qui ea. Dist. 38.)*

Vilissimus computandus est, nisi praecellat scientia, et sanctitate, qui est honore praestantior. *(C. Nisi cum pridem de Renun.)*

Nullus ad Sacra Ministeria veniat indoctus: sed solus accedat, quem morum innocentia, ac litterarum splendor reddunt illustrem. Aliter Ordinaturis, et Ordinandis immi-

net inposterum Dei, et Ecclesiae vindicta. *(Conc. Tolet. 4. c. 8.)*

Si ignaros, et rudes de coetero ordinare praesumpserint, et Ordinatores, et Ordinatos gravi decrevimus subjacere ultioni. *(Conc. Later. 4. c. 23.)*

Si coecus coeco ducatum praestet, nonne ambo in foveam cadunt? O quam multa malorum, et haeresum monstra orta sunt ex Clericorum imperitia in Ecclesia Dei! Ignorantia siquidem, cunctorum est mater errorum. *(Conc. Tolet. 4.)*

Tu ergo, scientiarum Domine, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, qui linguas infantium facis disertas, qui intellectum das parvulis, et qui verba vitae aeternae habes, da nobis os, et sapientiam, ut cum simplicitate cordis nostri discamus quae decent sanam doctrinam: emitte Spiritum scientiae, et renovabis faciem terrae. Tu es via, veritas, et vita, bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me: loquere ad cor meum, et libenter audiam quid loquaris in me Dominus meus: eloquia tua, eloquia casta: ignitum eloquium tuum vehementer; quidni servus tuus diligat illud? nonne illud est super mel ori meo? Interim, o Divine Praeceptor, ecce sto secus pedes tuos, audiens verbum tuum; da servo tuo cor docile, ut costodiam sermones tuos, et tamquam filius sapiens te laetificare possim. Beatus homo, quem tu erudieris. Domine! Da ergo, scientiarum Domine, qui doces hominem scientiam, da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, ut mecum laboret. Supplex oro, ut scientiam meam aedificet charitas tua.

CAPUT XXII.

De Lectione S. Scripturae

Omnis Scriptura, divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. *(2. Tim. 3.)*

Scriptura est liber Sacerdotalis. *(S. Ambr. l. 3. de Fid. c. 7.)*

Scriptura S. substantia Sacerdotii nostri. *(S. Dion. Areop. de Eccl. Hier. c. 1.)*

Omnes Ecclesiastici non modo Divinae Scripturae lectionem diligenter in Ecclesia auscultent; sed et domi Divinos Libros in manus sumant, et utilitatem in illis positam magno studio hauriant. *(S. Jo. Chr. hom. 29. in Gen.)*

Da operam ut divinarum Scripturarum lectionem familiarem tibi reddas. *(S. Ephr. de pat. et comp.)*

Sint Divinae Scripturae semper in manibus tuis, et jugiter in mente volvantur. *(S. Hier. ep. 14. ad Celant.)*

Dei praecepta sint in manu vestra, ut opere compleamini, et populum doceatis: sint ante oculos vestros, ut die ac nocte meditemini in eis. *(Idem. l. 4. Comm. in c. 23. Matth.)*

Divinas Scripturas saepius lege, imo nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur; disce quod doceas, obtine eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut possis exhortari in doctrina sana. *(Idem. ep. 2. ad Nepotian.)*

Ama studia Litterarum, et carnis vitia non amabis. *(Idem.)*

Sacerdotes Dei omissis Evangeliis, et Prophetis videmus comaedias legere, amatoria bucolicorum versuum verba canere, Virgilium tenere; et quod in pueris necessitatis est, crimen in se facere voluptatis. *(S. Hier. ep. 146. ad Damas.)*

Coelestium Scripturarum eloquia diu terere, ac polire debetis toto animo, et corde versantes, ut succus ille spiritualis cibi in omnes se venas animae diffundat. *(S. Ambr. l. 2. de Abel. c. 6.)*

Universa perpetua sint, quae a Domini Sacerdotibus statuuntur; qui ut Moses, ea quae statuunt, ab Oraculo Divino suscipiunt. *(S. Symmac. P. ep. ad Aconium.)*

Scriptura Sacra in nocte vitae praesentis, quasi quaedam nobis lucerna est posita. *(S. Gr. P. in Past.)*

Omnis Librorum Sanctorum series ad nostram salutem scripta est. Per illos nobis loquitur ipse Deus, et Dominus noster, et piae nobis voluntatis demonstrat affectum. *(S. Aug. de salut. docum. c. 9.)*

Quidquid temporis a Divinis Officiis, ab orationis, contemplationis que exercitatione, ab ecclesiasticis functioni-

bus, et ab aliis necessariis actionibus vacuum habetis, non in otio, neque in desidia, nec vero in rerum novarum curiositatibus illud conterite; sed cum in sortem Domini vocati sitis, in ejus lege die, ac nocte meditemini. *(S. Car. Bor. Conc. Prov. IV. p. 3. tit. Monitum.)*

Sacerdotes legere Sanctas Scripturas admonentur, Paulo Apostolo dicente ad Timotheum: Intende lectioni exhortationi, doctrinae; semper permane in his. Sciant igitur Sacerdotes Scripturas Sanctas, et Canones, ut omne opus eorum in praedicatione, et doctrina consistat, atque aedificent cunctos, tam fidei scientia, quam operum disciplina. *(Conc. Tolet. 4. c. 25.)*

Sacerdotes usu assiduo Sacrarum Scripturarum magistri in Israel efficientur, ita animum, mores, vitamque, et suam, et coeterorum ad recta instituta informabunt, ut enutriti in dies plenius verbis fidei, crescentes in scientia Dei, alacri, et inoffenso pede incedant ipsi, et perducant alios per semitas Domini. *(Quid. Auct.)*

Quis de Sacrorum Librorum lectione fructum satis explicare queat? Etenim verum est quod de illis dicitur: docent ignaros, arguunt otiosos, excitant torpentes, stimulant dormientes, corrigunt errantes, erigunt corruentes, terrent ridentes, consolantur lugentes, laudant humiles, vituperant superbientes, confortant debiles, reprimunt praesumentes, mitigant turbatos, laetificant tristes, justificant pios, damnant perversos. *(Idem.)*

Scrutare Scripturam Sacram, quae utpote divinitus inspirata, ad omnia utilis est. Tolle hos libros, et lege; hujusmodi lectiones multos Christo pepererunt. Testis est S. Ignatius; testis S. Columbanus; testes Aulici illi, de quibus S. Augustinus. Idipsum experire. Optime uteris lectione divina, si tibi eam adhibeas speculi vice, ut ibi velut ad imaginem suam, anima respiciat, et vel foeda quaeque corrigat, vel pulchra plus ornet. *(Idem.)*

Scriptura Sancta lux est hominum, et sine hac omnis Sacerdos in tenebris manet: et cum praedicat, vel aerem solum verberat, vel fabulationes narrat, vel humanae sapientiae verba eructat, nihil quod salutem proficit: et cum judicat in tribunali, sine judicio, sine aequitate judicat; caecus caeco ducatum praestat, et cum eo in foveam cadit. *(Idem.)*

Tu igitur Dei minister ad hoc praecise constitutus, ut verba, quae Ipse in Scripturis tibi dedit, nota facias ho-

minibus; ut mandata quae tradidit, ipsos servare doceas; ut eos juxta leges Ipsius judices: portio ergo tua est, scire Scripturam: haec bonum est oris tui, haec aurum, et argentum status tui. *(Idem.)*

—

Scio, Domine, quod nisi lex tua meditatio mea sit, peribo in humilitate mea. Scio quod sine ipsius assidua lectione, neque pius, neque sapiens, neque sufficienter eruditus esse possim. Igitur scrutabor mirabilia testimonia tua, scrutabor ea quotidie, scrutabor assidue. Quotidie ad hanc mentis meae refectionem accedam, ut in ea sermones tuos comedam. Ibi veritatem, non eloquentiam: utilitatem, non subtilitatem. Da, Domine, da mihi intellectum, ut capiam verbum tuum; faciem tuam illumina super me, et doce me tu ipse justificationes tuas. Scio enim quod liber tuus sanctissima, et pulcherrima dicit; sed te tacente, nec mentem illuminat, nec cor accendit.

CAPUT XXIII.

De Zelo pro salute animarum

—

Posui te ut evellas, et destruas, et dissipes, et aedifices, et plantes. *(Jer. 1.)*

Qui ad justitiam erudiunt multos fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates. *(Daniel. 12.)*

Vos estis Presbyteri in populo Dei, et ex vobis pendet anima illorum. *(Iudith. 8. 12.)*

Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae. *(Luc. 21)*

Venite faciam vos fieri piscatores hominum. *(Matth. 4.)*

Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. *(Idem. 15)*

Data est mihi omnis potestas in coelo, et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes *(Idem. 28.)*

Nos debemus pro fratribus animas ponere. *(1. Jo. 3.)*

Quod si zelum amarum habeatis, et contentiones sint in cordibus vestris, non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. *(ep. Jac. c. 3.)*

Vae mihi si non evangelizavero. *(S. Paul. ad Cor. 9. 16.)*

Scire debetis, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum. *(ep. Jac. c. 5.)*

Omnibus omnia factus sum, ut omnes salvos facerem. *(2. Cor. 9.)*

Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis. *(ad Rom. 9. 3.)*

Cum placuit ei, qui me vocavit per gratiam suam, ut evangelizarem illum in gentibus, continuo non acquievi carni, et sanguini. *(ad Gal. 1. 15.)*

Labora sicut bonus miles Christi Jesu. *(2. Tim. 2.)*

Solicite cura teipsum, probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem. *(2. Tim. 2.)*

Si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tenteris. *(ad Galat. 1.)*

Qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam. *(ad Gal. 1.)*

Non ad duas quippe urbes, aut decem, aut viginti, neque ad unam gentem vos mitto, sed ad omnem terram prorsus, ac mare, totumque mundum, et hunc variis criminibus oppressum. *(S. Jo. Chr. hom. 15. in Matth.)*

Omnium divinarum perfectionum divinissima perfectio est, cooperari Deo in salutem animarum, quo nihil divinius. *(S. Dion. Areop. c. 3. de Coel. Hier.)*

Sacerdotium curarum, et coronarum societas. *(S. Gr. Nazian. or. 1.)*

Nullum omnipotenti Deo tale est sacrificium, quam zelus animarum. *(S. Gr. P. hom. 21. in Ezech. et sup. ps. 50. 14.)*

Nihil tam studiose affectat Deus, nec tam illi gratum est, quam salus animarum. *(S. Jo. Chr. or. p. adv. Jud.)*

Sacerdotium est officium quaestus non pecuniarum, sed animarum. *(S. Ambr. in c. 1. Is.)*

Viam errantibus monstrare debet Sacerdos. *(S. Gr. P. ep. 100.)*

Liberare a putredine peccatorum, Christi virtutis est; ut autem ad illa iterum non revertantur, Apostolorum curae est, ac laboris. *(S. Jo. Chr. hom. 15. in Matth.)*

Non se inanibus, et superfluis actibus implicent Sacerdotes, sed sciant se in nullo alio partem habituros apud Deum, nisi in eo, quod offertur pro peccatis, idest, quod a via peccati converterint peccatores. *(Orig. l. 5. in c. 7. Levit.)*

Sacerdotes oportet inveniantur expediti ad officia, ido-

nei ad Sacramenta, ad plebes erudiendas sollicitì. *(S. Bern. de Consid. l. 4. c. 2.)*

Christum diligens, et gregem illius diligit. *(S. Jo. Chr. in ep. ad Rom. c. 15.)*

Cum te diligerem, Domine, urebar zelo; ubi vero te repuli, zelum extinxi. Est igitur zelus amoris index. *(Theodoret.)*

Si Deum honorare conaris non aliter melius, quam in hominis salute poteris actitare. *(S. Laur. Just.)*

Est quippe sacrificium juge, et medullatum, quo delectatur Deus, animarum videlicet lucrum: hoc si obtuleris rationabiliter plurimam gratiam consequeris, et gloriam. *(Idem.)*

Si immensas pecunias pauperibus erogaveris, plus tamen effeceris, si unam converteris animam. *(S. Jo. Chr. or. p. adv. Jud.)*

Quid majus, quam animis moderari, quam adolescentulorum fingere mores? Omni certe pictore, omni certe statuario, caeterisque hujusmodi omnibus excellentiorem hunc duco, qui juvenum animos fingere non ignorat. *(Idem.)*

Pro officio Sacerdotii omnes christianos filiorum loco diligimus, et profectus eorum nostra est gloria. *(S. Hier. ep. 6.)*

Zelus animarum verus, et perfectus est, quando aliquis sanctis meditationibus, ferventibus desideriis, lacrymis, orationibus, vigiliis, jejuniis, atque aliis bonis operibus pro salute animarum laborat. *(Albert. Magn.)*

Multi Sacerdotes, et pauci Sacerdotes; multi nomine, pauci opere. *(Auct. op. imp. in Matth. hom. 43.)*

Ecce mundus Sacerdotibus plenus est, et tamen in messe Dei rarus valde invenitur operarius. *(S. Gr. P. in Past.)*

Cadit asina, et est qui sublevet, cadit anima, et nemo est qui reparet. *(S. Bern. de Consid.)*

Neque id mihi unquam persuasi salvum fieri posse Sacerdotem, qui pro proximi salute nihil laboris impenderit. *(S. Jo. Chr. or. p. adv. Jud.)*

Pro populorum iniquitate damnantur, si eos aut ignorantes non erudiant, aut errantes non corrigant. *(S. Isid. l. 3. sent.)*

Id scire oportet, et nequaquam ambigere, te prius quam ordinabaris, tibi vixisse: ordinatum autem illis vivere, quibus ordinatus es. *(S. Athan. ep. ad Dracon.)*

Quod Christiani sumus, propter nos est: quod Praepo-

siti sumus propter vos. *(S. Aug. ser. de Past. Eccl. ap. Conc. Aquisgr.)*

Sacerdos si vitam disposuerit suam, non autem tuam diligenter curaverit, cum impiis in gehennam detruditur, et non propriis actionibus, sed nostris damnatur. *(S. Jo. Chr. hom. 85. in Jo.)*

Qui sua contentus salute negligit alienam, nec suam quidem consequi potest. *(Idem.)*

Sic debemus agere curam nostri ut non negligamus curam proximi, ut quisquis ad nos jungitur, ex linguae nostrae sale condiatur. *(S. Greg. P. hom. 17. in Luc.)*

Sane hominibus Sacro Ordine initiatis una cum onere gratiam, et robur ad onus ferendum necessarium per Episcopi manus impositionem Deum tribuere minime est ambigendum. Quare cavendum porro diligenter ipsis est, ne quod Apostolus monet, gratiam sibi a Deo collatam in vacuum accepisse ostendant, illamque inanem reddant, quam divino consilio donatam sciunt, ut illam excitantes, summopereque colentes, atque exercentes, perpetuo suam, et aliorum utilitatem, et salutem procurent. *(S. Car. Bor. in Reg. Obl. S. Ambr.)*

Animarum lucrum Deo nostro tota mentis intentione ferre festinate: nomen nos Pastoris non ad quietem, sed ad laborem suscepisse cognoscite. *(S. Gr. P. ep. 8. ad Joan. l. 4.)*

Tu te in omnibus exhibe, cogitans te omnium servum, nec tibi, sed cunctis genitum te vivere credas; datum indoctis doctorem, consolatorem pauperum, solatium oppressorum, patrem orphanorum, defensorem viduarum, et omnibus debitorem. *(Petr. Bles. de Inst. Episc. c. 4.)*

Nec sic quisque debet esse otiosus, ut in eodem otio utilitatem non cogitet proximi: nec sic actuosus, ut contemplationem non requirat Dei. Otium sanctum quaerit charitas veritatis; negotium justum suscipit necessitas charitatis. *(S. Aug. de Civit. Dei l. 19. c. 19.)*

Habet vita activa profectum, contemplativa fastigium. Haec facit hominem sanctum, illa perfectum. *(S. Prosp. de vit. contempl. l. 1. c. 12.)*

Non est satis nobis ad salutem, quod virtuose ipsi vivamus, sed oportet aliorum salutem reipsa desiderare, cum neque nos recte vivamus, neque alios hortemur, quid respondebimus? *(S. Jo. Chr. hom. 60. in c. 18. Matth.)*

Illud unusquisque Clericus saepe reputet, se non ad i-

nertiam, atque ignaviam, sed ad spiritualis, et ecclesiasticae vitae labores vocatum esse. *(S. Car. Bor. Conc. Med. c. 4. de vit. et hon. Cler.)*

Irreprehensibilem quidem esto exhibuerit vitam, attamen eo quod lucrum non auxit, poenas dedit; ita et tu quidem etiamsi purus, et innocens perseveres, caeterum non augeas talentum, nec fratrem pereuntem augeas ad salutem, eadem quae ille patitur, patieris. Itaque si piger in fratris cura fueris intellige nulla prorsus ratione te salutem consecuturum. *(S. Jo. Chr. or. p. ad Jud.)*

Non cessandum licet mali sint, quibus loquimur. *(S. Hier.)*

In dispensandis Dei donis non debemus esse difficiles, quia misericordiam Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire. *(S. Leo P. ep. 89.)*

De quocumque pessimo in hac vita constituto non est utique desperandum, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur. *(S. Aug. l. 1, retract. c. 19.)*

Dum in corpore vivitur, nullius est desperanda reparatio. *(S. Leo. P. ser. 4. de Epiph.)*

Hominem non contemno licet unus sit, homo est, animal Deo charissimum: licet servus sit contemnendus mihi non videtur: non enim dignitatem quaero, sed virtutem, non dominationem, aut servitutem, sed animam; licet unus sit, homo est, propter quem Coelum extensum est, sol lucet, luna decurrit; aer diffusus est, fontes scaturiunt, expansum est mare, Prophetae missi sunt lex data est; et quid opus est omnia prosequi? Propter quem unigenitus Dei Filius, factus est homo. *(S. Jo. Chr. ser. in terraem.)*

Non erubescimus, si cum diabolus nunquam desperet nostram perniciem, sed indesinenter eam expectet, nos fratrum salutem desperaverimus? Qui nobis erit veniae locus, si cum tanta sit daemonis in nostrum exitium vigilantia, nos ne tantulum quidem similis diligentiae afferamus ad salutem fratrum nostrorum, praesertim cum Deus habeamus auxiliatorem. *(Idem.)*

Justificatio impii majus opus est, quam creare coelum, et terram. *(S. Aug. l. retr.)*

Qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae salvabit animam ejus a morte, animam scilicet ejus, qui aberraverit a recta via, et qui alienam animam salvat, etiam suam salvat: si justus est, de condigno meretur opere tam pio gloriam aeternam; si vero est in peccato de

congruo merebitur gratiam, et justitiam qua salvatur. *(Menoch. in c. 5. Iac.)*

O Pater mi si vidisses animae pulchritudinem non dubito quin pro illius salute centies mortem oppeteres *(S. Cat. Sen. ad suum Confes.)*

Quis non omnem merito perferat laborem, ut possit lucrari tantae pulchritudinis creaturam? Si ego tanto animarum amore captus fui, ut pro illis rediniendis homo fieri, et sanguinem libens fundere voluerim: quanto magis vos debetis summopere in eam curam incumbere, ne pereant tam speciosae creaturae? *(Jesus Christus in appar. S. Cat. Sen.)*

Quale mihi damnum, aut cur conqueri debeo, licet usque ad diem judicii poenas purgatorii sustinere mihi oporteat, modo per illud consequar quod anima una salvetur; quanto ergo magis, si agatur de plurium animarum lucro, id vereri nequaquam deberem? *(S. Cat. Sen.)*

Finis nostrae vocationis est, non solum saluti, et perfectioni propriarum animarum cum divina gratia vacare; sed cum eadem impense in salutem, et perfectionem proximorum incumbere. *(Quid Auct.)*

Memores sint Sacerdotes vocatos se esse ad reducendas animas suo Creatori: quod cum sit opus omnium difficillimum summo studio media illa adhibeant quae instrumentum cum Deo conjungunt: ejusmodi sunt solidae virtutes, ac praecipue charitas, pura intentio divini servitii, familiaritas cum Deo in spiritualibus devotionis exercitiis, ac sincerus animarum zelus ad gloriam Divinae Majestatis *(Idem)*

Qui piscari homines vult relinquat retia, non enim retibus, sed operum exemplis capitur homo *(Idem.)*

Vel unicum impedivisse peccatum pro omnibus etiam istius vitae laboribus, et curis satis magnum impensae operae pretium est. *(Idem.)*

Si juxta cor Dei vis esse Sacerdos, oportet te de gloria Dei, et animarum salute semper esse sollicitum; nil plusquam haec duo desiderare occasiones ad utrumque sedulo inquirere, media ad haec procuranda excogitare. *(Idem.)*

In omni opportunitate ferventi animo debes laborare, insudare, eniti, ut per orationem, sacrificium, verbi Dei praedicationem, poenitentiae ministerium, sacramentorum dispensationem, bona exempla; exhortando, monendo, stimulando, benefaciendo, per mansuetudinem, per corre-

ptionem, per omnem modum, regnum Dei dilates, servosque Domini multiplices. *(Idem.)*

Servi otiosi, servi inutiles, erubescite, et confundimini. Placent vobis pingues redditus, displicent ministerii labores; placet mensa, displicet altare; placet tectum, displicet tribunal; placet confabulatio, displicet oratio; placet ambulatio, displicet studium; placet lusus, displicet cura gregis; ad omne saeculi negotium parati semper estis, ad omnem ecclesiasticum laborem tepescitis, et pigritatis. *(Idem.)*

—

Domine, qui amas animas, da mihi amorem tui, ut postea ferventer dicam: da mihi animas; caetera tolle tibi. Excita insuper torpescentes Sacerdotes ad te sincero cordis affectu amandum; si enim amaverint te, nonne animas a te ita dilectas, et in amorosis tuis visceribus pretiosas, ardenter amabunt? nonne hunc praevium habentes amorem, illarum conversioni, sanctificationi, et saluti totis viribus vacabunt? omnia siquidem vincit amor; nescit molimina amor. Utinam ergo tuo excitati amore, et adusti, omnes pro justitia tua agonizemur, certatim pro gloria tua, pro nostra, omniumque salute consumamur. Amen.

CAPUT XXIV.

De mulierum conversatione fugienda.

—

In medio mulierum noli commorari, e muliere iniquitas viri. *(Eccl. 42. 12.)*

Averte faciem tuam a muliere compta, et ne circumspicias speciem alienam: propter speciem mulieris multi perierunt. *(Idem. 9. 8.)*

Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius. *(Idem. 9. 5.)*

Non des mulieri potestatem animae tuae, ne ingrediatur in virtutem tuam, et confundaris: neque respicias mulierem multivolam; ne forte incidas in laqueos illius. *(Idem. 9. 2.)*

Cum saltatrice ne assiduus sis; nec audias illam, ne for-

te pereas in efficacia illius: et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. *(Idem.)*

Speciem mulieris multi admirati, reprobi facti sunt; colloquium enim illius quasi ignis exardescit. *(Idem.)*

A muliere initium factum est peccati, et per illam omnes morimur. *(Idem. 25. 33.)*

Mulier compta, et pulchra cum suis ornamentis est gladius diaboli bene limatus. *(S. Bonav. Dict. Sal. tit. 1. c. 9.)*

Animum ipsum ferit, ac commovet, non impudicae tantum, sed etiam pudicae mulieris oculus. *(S. Jo. Chr. l. 6. de Sacer.)*

Requisivit anima mea, an sancta mulier inveniatur, et invenire non potui, omnes enim ad luxuriam, et non ad virtutem me induxerunt. *(S. Hier. in c. 7. n. 17. Eccl.)*

Prima tentamenta sunt Clericorum foeminarum frequentes accessus. Iste sexus reprehensibiles exhibet Clericos. Quid tibi revera cum foeminis, qui ad Altare cum Domino fabularis? Te cuncti in publico, te in agro rustici, aratores, ac vinitores quotidie graviter lacerabunt, si contra depositum fidei cum foeminis habitare contendis. Prohibe virgines tecum commorari, etiam quae de genere tuo sunt. *(S. Hier. ep. ad Ocean. ap. Conc. Aquisgr.)*

Mulierum congressus, vir optime, quantum fieri potest fuge; nam eos, qui Sacerdotum munere funguntur, sanctiores, ac puriores illis esse oportet, qui ad montes se contulerunt; siquidem illi, et sui, et plebis, hi autem sui dumtaxat curam gerunt. Quod si etiam ut cum ipsis converseris necessitas aliqua te obstringat, oculos humi dejectos habe. Cumque pauca, quae ipsarum animos perstringere, atque illustrare queant, locutus fueris, statim avola. *(S. Isid. Pelus. l. 2. ep. 284. ad Pallad. Epis.)*

Hospitiolum tuum aut raro, aut nunquam mulierum pedes terant, quia non potest toto corde cum Deo habitare, qui foeminarum accessibus copulatur; foemina conscientiam secum pariter habitantis exurit. *(S. Hier. ep. ad Nepot.)*

Omnes puellas, aut virgines aut aequaliter ignora aut aequaliter dilige: ne sub eodem tecto mansites; nec in praeterita castitate confidas; nec sanctior David, nec Samsone fortior, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper, quod Paradisi colonum de possessione sua mulier ejecerit. Ægrotanti tibi quilibet sanctus frater assistat, et germana, vel mater, aut probatae quaelibet apud omnes fidei. Scio quosdam convaluisse corpore, et animo æ-

grotare caepisse. Periculose tibi ministrat, cujus vultum frequenter attendis. *(Idem.)*

Solus cum sola secreto, et absque arbitro vel teste non sedeas. Caveto omnes suspiciones, et quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur ante devita. *(Idem.)*

Quid tibi necesse est in ea versari domo, in qua necesse habeas quotidie aut perire aut vincere? *(Idem.)*

Cum foemina frequenter esse, et foeminam non tangere, nonne plus est quam mortuum suscitare? Quod minus est, non potes; quod majus est, vis tibi credam? Semper latus tuum ad latus mulieris in mensa, oculi tui ad oculos ejus in colloquio, manus tuae ad manus ejus in opere, et continens vis putari? Esto ita sit, scandalum tu mihi es, scandalizas Ecclesiam Dei. Scriptum est autem; Vae homini illi per quem scandulum venit. *(S. Bern. ser. 26. in Cant.)*

Tua cum mulieribus colloquia vel nulla sint, vel rarissima, vel brevissima. *(S. Basil. const. c. 4.)*

Cum Clerico foemina nulla commaneat, non despecta, non vetula sine affinitate peculiariter suscipienda ad domesticum obsequium; quia magis illic cito delinquitur, ubi sine suspicione securum potest esse delictum; maxime quia cupidini nulla deformitas, nulla despectio fastidii, vel vilis existit, sed diabolus pingens speciosum efficit, quicquid foedum, et horridum fuerit. *(S. Cypr. de singular. Cler.)*

Cum mulieribus non continuanda praesentia, sed transeunter exhibenda est accessio foeminis quodammodo fugitiva. *(Idem.)*

Licet carnalis affectio sit omnibus periculosa, et damnosa, spiritualibus tamen viris perniciosa est magis maxime quando conversantur cum persona, quae spiritualis videtur: nam quamvis eorum principium videatur esse purum, frequens tamen familiaritas domesticum est periculum, delectabile detrimentum, et malum occultum bono colore depictum. Quae quidem familiaritas quanto plus crescit, tanto plus infirmatur principale motivum, et utriusque puritas maculatur. *(S. Bonav. de pur. consc. c. 14.)*

Cum illis sermo rarus, brevis, et austerus. Mulieribus enim adhibenda est accessio quodammodo fugitiva. *(Idem.)*

Propter vos conscientia nostra sufficit nobis: propter vos fama nostra non pollui, sed pollere debet in vobis. *(S. Aug. serm. 49. de com. vit. Cler.)*

Sermo brevis, et rigidus cum mulieribus est habendus; nec tamen quia sanctiores sunt, ideo minus cavendae; quo enim sanctiores fuerint eo magis alliciunt, et sub prætextu blandi sermonis, immiscet se viscus impiissimae libidinis. Crede mihi: Episcopus sum, in Christo loquor, non mentior; Cedros libani, idest contemplationis altissimae homines, et gregum arietes, idest magnos Praelatos Ecclesiae, sub hac specie corruisse reperi; de quorum casu non magis praesumebam quam Hieronymi, et Ambrosii. *(S. Th. op. de mod. conf. et pur. consc. art. 12. ex S. Augustino.)*

Ipse ego quoque quosdam religiosos multae virtutis viros agnovi, quibus frequens mulierum accessus, et diuturna conversatio laqueus, ac spiritualis ruina fuit, adeo ut sacrorum votorum obliti, coenobia deserentes, terga Deo turpiter verterunt, mollesque, lascivi, effaeminati, fornicarii, adulteri effecti, suis operibus plurimos scandalizaverunt. *(Quid. Auct.)*

Quantos leones domuit una muliebris infirmitas delicata, quae cum sit vilis, et misera de magnis efficit praedam. *(S. Cypr. de sing. Cler.)*

Sic ambulate, sic agite ut semper Ecclesiae Senatus candidus constet, severitas circa foeminas vigeat, auctoritas polleat, vigor teneatur, gravitas veneretur. *(Idem.)*

Attende quid de rege Salomone dicatur; cum jam esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres ut sequeretur deos alienos. Unde tu superbis? Unde de te praesumis? Nunquid es Davide sanctior, aut Salomone sapientior? *(S. Hier.)*

Propter Evam primus homo, propter Dalilam fortissimus, propter uxorem Uriae religiosissimus, propter mulieres alienigenas sapientissimus miserrime cecidit. Tu quis es igitur, ut audeas sine prudentissima cautela cum ipsis agere? *(Quid. Auct.)*

Cavete virginum munuscula, delicias, lepores nimias urbanitates contemnere, quin et erubescere.. *(Idem.)*

Caveat Clericus ne praecursor aut assecla foeminarum, aut his discumbentibus assistat, aut ancilletur. *(S. Car. Bor. Syn. Med. c. 26. n. 8.)*

Nullus docere audeat puellas, aut mulieres legere, scribere, canere, instrumenta pulsare. Nemo hac in parte sibi fidat; et non solum ab omni malo, verum etiam ab omni specie mali abstineant Clerici, ne qui ad malum de pro-

ximo suo suspicandum prono sunt animo, in bonam eorum famam irruant. *(Syn. Port.)*

In re tanti momenti dilectos sacri Altaris ministros monemus, ut omne incontinentiae periculum, ac suspicionem caute vitantes; extranearum quoque foeminarum aedes, congressus, familiaritates sub quovis officii praetextu nullatenus frequentent. *(Idem.)*

Meminerint conversationem sibi ipsis propriam in coelis esse; et cum Angelis quotidie sacris Altaribus adstituri vereantur vespere cum foeminis ridere, et ludere, ac mane cum Christo passionis ejus flere mysteria. *(Idem.)*

Volumus, ut Sacerdotes prohiberi debeant, ne cum mulieribus conversentur. *(Cap. Volumus. 24. Dist. 80.)*

Cum omnibus Clericis extraneae foeminae non cohabitent. *(Cap. Cum omnibus 27. Dist. 81.)*

Clericus solus ad foeminae tabernaculum non accedat: nec solus Presbyter cum sola foemina fabulas misceat. *(Cap. Clericus, 10. Dist. 81.)*

Clerici ad viduas vel virgines nisi ex jussu, vel permissu Episcoporum, aut Presbyterorum non accedant, et hoc non soli faciant, sed cum conclericis, vel cum quibus Episcopus jusserit: nec ipsi Episcopi, et Presbyteri soli habeant accessum ad hujusmodi foeminas, sed ubi aut Clerici praesentes sint, aut graves aliqui Christiani. *(Cap. Clerici 32. Dist. 81.)*

Mulierum consortium Sacerdoti non convenit, quem castitas, et continentia perpetuo debent ornare: et ut castitas servari queat in muliebri consortio, raro tamen bonum nomen retineri potest. *(Conc. Camerac. c. 3. de vit. et hones. Cleric.)*

Omnem cum mulieribus cohabitationem Clericis interdicimus, nisi eadem ipsis sint saltem in secundo consanguinitatis, vel affinitatis gradu conjunctae. *(Conc. Rom. tit. XXI. c. 3. Dist. 32. c. Interdixit. 16.)*

In medio mulierum noli commorari. De vestimentis procedit tinea, et a muliere, iniquitas viri. Mulier laqueus est venatorum, et sagena cor ejus; vincula sunt manus illius. Adolescentiores viduas devita, monet Apostolus, simul et virgines, quae quamvis sanctae sint, non minus sunt cavendae. Quod si cum illis absque necessitate, etiam praetextu devotionis, familiariter converseris, tibi accidet, ut, cum spiritu coeperis, carne tandem consumendus sis. Hoc tibi dicunt sua infelici experientia quidam majores tui,

teque multo doctiores, et sanctiores. Quidni his edoctus exemplis cautior eris? Ergo cum pauca, quae sunt ad salutem necessaria, allocutus fueris, statim advola. Nemini hac in parte des vel minimam offensionem; nam si mirabantur Apostoli, quia cum muliere loquebatur Christus; nonne tu virginibus, et viduis assuens, malae suspicionis de te praebebis materiam, vitamque tuam sinistrae opinionis infamabis? Nunquid patieris ministerium tuum vituperari? Ne confidas in castitate praeterita, ut monet S. Hieronymus; sed vigila, et omni cura custodi cor tuum. Otium, utpote luxuriae fomitem, fuge, et da operam, ut diabolus te inveniat semper occupatum. Odi vel minimam luxuriae speciem, et illecebram; elimina illius vel levissimam occasionem: qui amat periculum peribit in illo. *(Quid. Auct.)*

Omnes quidem, si fieri posset, mulierum coetus, atque colloquia defugere oporteret, ut quae ad emolliendum animum vim quamdam ac facultatem habeant. *(S. Isid. Pelus. l. 1. ep. 89.)*

Illud quoque non minus periculosum esse didicimus, quod in quorundam Episcoporum Parochiis quosdam Presbyteros contra interdicta Sanctorum Canonum foeminas in domibus suis non solum habitare, sed etiam ministrare sibi faciunt, quas et laqueum Sacerdotibus persaepe extitisse, et multos hac occasione in scandalum, et in detractionem corruisse cognovimus, unde in commune censuimus, ut hi, qui tantae transgressionis incorrectores hactenus extiterint, si abhinc hujus rei correctores esse neglexerint, juxta Apostoli sententiam quasi consentientes malorum coerceantur. *(Conc. Aquisgran. II. a. 836. de vit. et doct. Cler.)*

Decernimus etiam ut nulla Presbyteris omnino cohabitet foeminarum: contemnentes autem hanc Constitutionem, periculum proprii sustinere gradus. *(Idem, ibidem, Can. 11.)*

Mulier enim saecularis organum est satanae. *(S. Bern. de modo bene vivendi c. 57.)*

Janua diaboli, via iniquitatis, scorpionis percussio, nocivumque genus est foemina. *(S. Hier. ep. ad Ocean. de vit. et hon. Cler.)*

Arma diaboli sunt mulieres. *(S. Bonav. tit. 1. de pecc. c. 9.)*

Balistae diaboli de longe infigentes. *(Idem.)*

Gladius diaboli. *(Idem.)*

Castra, in quibus diabolus ponit vexilla. *(Idem.)*
Sexus muliebris semper suspectus est; illo frequentissime abutitur diabolus. *(S. Laur. Justin. de triumphal. agon. Chr. c. 8.)*
Satanae consueta muliebria arma. *(Idem.)*
Mulier gravis atque efficax orator ad dementandum eos, qui non sibi cavent, et antiquum diaboli instrumentum; per quod multos fortes viros dejecit. *(S. Isid. Pelus. l. 4. ep. 71.)*
Cum proximat stipula, incendit ignem; flammigero igne percutit foemina conscientiam pariter habitantis, exuritque fundamenta montium. *(S. Hier. ep. ad Ocean.)*
Intemperantiae alimenta sunt, assidui mulierum congressus. *(S. Jo. Chrys. l. 6. de Sacerd.)*
De carbonibus scintillae dissiliunt, de ferro rubigo nutritur, morbos aspides sibilant, et mulier fundit concupiscentiae pestilentiam. Quam Salomon sic comparat, dicens: de vestimentis procedit tinea, et a muliere iniquitas viri. *(S. Cypr. de sing. Cler.)*
Separamini, deprecor, separamini a contagione pestifera: quantumcumque fuerit unusquisque longius ab adversis, tantum non sentit adversa: minus voluptatibus stimulatur, qui non est, ubi est frequentia voluptatum; et minus avaritiae molestias patitur, qui divitias non videt . . . . Non aliter tentationibus subjacet, qui junctus est foeminae, in qua nihil aliud est, nisi quod feriat proximantem; aculeus peccati facta est forma foeminea: et mortis conditio non aliunde surrexit nisi de muliebri substantia. *(Idem.)*
Ab earum rerum congressu longissime fugiendum est, cum primis quaecumque in conspectu nobis adductae, refricata libidinum memoria, rationis vim in nobis perturbant, atque confundunt, bellaque, et sollicitos angores in animo creant. *(S. Basil. Constit. Monast. c. 3.)*
Quocirca fugiendae in primis cum mulieribus collocutiones, neque ad eas unquam accedendum, nisi cum gravissima nos aliqua ad eas necessitas impellat, et aliter facere non possimus. Atque, ipsa etiam ubi nos necessitas adegerit, ab ipsis non secus atque ab igne cavendum est, adeo ut quam ocissime nulla mora ab istis nos extricemus. *(Idem.)*
Ante famem certamus, ante inopiam laborando satagimus: sic per omnia calamitatibus cunctis tollimus locum, dum gerimus providentiam temporum futurorum: quanto

magis ante praevenienda est omni praevisione calamitas foeminarum, cujus cupido, si admittitur, incipere nusquam prorsus accipit finem: infernus, inquit Salomon, et amor mulieris, et terra, quae non satiatur aqua, et ignis non dicit: sufficit. *(S. Cypr. de sing. Cleric.)*

Si quis profectione cogente apud fratres vel apud extraneos hospitatur, ubi mulieres intersunt, omnino se arctet, ne possibilitate aliqua vitetur semotus, ac secretus Deo vacet et sibi, ne intus capiatur a diabolo, et, qui foris capi non potuit, apud suos cadat. *(Idem.)*

Ipsi nos fallimus, quoties inordinaliter credimus aestimantes per fidem nostram legis praecepta mutari; ut inter masculos; et foeminas speremus passim castitatem immobilem custodiri. Difficile quis venenum bibet, et vivet; verendum est dormienti in ripa, ne cadat. *(Idem.)*

Tolle occasionem peccati, aufer materiam delinquendi, si vis esse a fornicatione tutus; esto corpore, et visione discretus; corpore quippe sejunctus a peccati intentione discedes; contra serpentem positus, non eris diu illaesus, *(S. Isid. Hispal. de consortio mulier.)*

Cui foemina adhaeserit contra fas insanabilem ingerit plagam, *(S. Cypr. de sing, Cleric.)*

O quam inordinabilis foeminae propinquitas jaculatur, cujus vicinia est delictorum latrocinium. *(Idem.)*

O quam vilis! o quam miser, et pusillanimis reputatur Clericus, qui frequenter cum mulieribus conversatur. *(S. Aug. serm. 37. ad frat. erem.)*

Rogo vos, quantum valeo, et ultra quam valeo, haec sint studia omnium Clericorum, ut singularitatis inaccusabilis secessione fungantur; ne aut ipsi per foeminas, aut foeminae per illos ad ignominiosa ludibria provocentur, *(S. Cypr. de sing. Cleric.)*

Occasiones amputandae sunt peccatorum, et tollendae omnes suspiciones, quibus subtilitas diaboli sub praetextu charitatis, et dilectionis incautas animas vel ignaras irretire consuevit. *(Conc. Carthag. I. Can. 3.)*

Oportet Episcopum et juvenculas alloqui cum omni castitate. Si ista Timotheo praecipit, consideret jam quisque cujusmodi debeat esse, ut scilicet nullum suspicioni praebeat locum, ne umbram quidem occasionis calumniari volentibus det. *(S. Jo. Chrys. hom. 18. in c. 5. ep. 1. ad Tim.)*

Non decet Clericum cum mulieribus sedere vel fabula-

ri, vel domum frequentare, ne suspicio mala inde progrediatur. *(S. Aug. serm. 37. ad fratr. erem.)*

Impudenter se assunnt virginibus sacris, ac viduis, quibus tanto agglutinantur affectu, ut facilius ab Ecclesia, quod dictu quoque nefas est, quam ab earum communione discedant. Qui, etsi cum illis forte non peccant, tamen malae suspicionis de se praebendo materiam, vitam suam maculis sinistrae opinionis infamant. *(S. Prosp. l. 2. de vita contempl. Sacerd. c. 4.)*

Quod si te frequenter cum ipsis versari, nec ullo inde detrimento affici dixeris, id quidem fortasse mihi persuaderi sinam; at illud item velim omnibus fidem adhiberi, a quibus lapides extenuari, ac rupem aquae guttis continenter cadentibus excavari dicuntur. *(S. Isid. Pelus. l. 2. ep. 284.)*

Quotidie latus tuum ad latus juvenculae est in mensa: oculi tui ad illius oculos in colloquio, manus tuae ad manus ipsius in opere: et continens vis putari? Esto ut sis; sed ego suspicione non careo; scandalo mihi es; scandalizas Ecclesiam. *(S. Bern. serm. 63. in Cant.)*

Quantos robustissimos telis foemineis prostravit diabolus viros! quot ab initio saeculi damnavit fraudibus mulierum non armatos advocavit milites, ut debellaret Apostolum Petrum unius muliereulae lingua Christianae militiae devicit ducem. *(S. Laur. Just. de triumph. agon. Chr.)*

Venerabilis Presbyter, cum longam vitae implesset aetatem, ad extrema deductus est. Sed cum eum presbytera sua conspiceret solutis jam membris quasi in morte distentum, si quod adhuc ei vitale spiramen inesset, naribus ejus curavit aure dignoscere; quod ille sentiens, cui tenuissimus erat flatus, quantulo adnisu valuit, ut loqui potuisset, infervescente spiritu collegit vocem, atque erupit, dicens; recede a me, mulier, adhuc igniculus vivit, paleam tolle. *(S. Greg. l. 4. dial. c. 11.)*

Consortium mulierum Sacerdoti non convenit, quem castitas, et continentia ornare perpetuo debent. *(Conc. Camer. tit. 8. c. 3. de vit. et honest. Cleric.)*

Omnis inconveniens sodalitas mulierum, gluten est delictorum, et viscum toxicatum, quo diabolus aucupatur. *(S. Cypr. de sing. Cleric.)*

Ego judico, si cum viris foeminae habitent, viscarium non deerit diaboli, qui ex eis aucupatus est ab initio peccatum. *(S. Hier. ep. ad Ocean.)*

Episcopo non licet virginum contubernio uti. *(S. Jo. Chr. de Sacer. c. 17.)*

Qui corpus suum continentiae dedicant, habitare cum foeminis non praesumant; ne ruina menti tanto ruina subripiat, quanto ad hoc, quod male concupiscitur, etiam praesentia concupitae formae famulant. *(S. Gr. l. 3. dial. c. 7.)*

Legitur quod B. Augustinus nec cum sorore sua habitare consenserit, dicens: quae cum sorore mea sunt, sorores meae non sunt. Docti ergo viri cautela magna nobis esse debent instructio: nam incaute praesumptionis est, quod fortis pavet, minus validum non timere. *(Idem. ep. 39.)*

Obsecramus per sanguinem illum, qui pro animabus fusus est, ne tanti emptarum parvipendatur periculum, quod maxime ex virorum, et foeminarum cohabitatione non immerito timetur ab his, qui in schola Dei diu jam contra diaboli tentamenta luctati, propria experientia docti dicere possunt cum Apostolo: non enim ignoramus astutias ejus. *(S. Bern. ep. 79. ad Lucam Abb.)*

Prohibe virgines tecum commorari, etiam quae de genere tuo sunt. *(S. Hier. ep. ad Ocean. ap. Conc. Aquisgran. a. 816.)*

Cum mulieribus quamvis vel arctissimo consanguineitatis vel affinitatis vinculo vobis illae conjunctae sint, ne in eisdem domiciliis, aedibusve simul habitare, nisi cum ex causa alicui vestrum aliquando Episcopalibus litteris permissum sit. *(Conc Med. IV. p. 3. tit. Monitiones.)*

Si qui habet matrem, vel filiam, vel sororem, vel conjugem, vel cognatam, sic habeat, ut nulla ancilla intersit, neque aliqua ingrediatur extranea, ne ad hoc videatur tenere proximas suas, ut ipsarum causa libere sibi adhibeat alienas. Quod si non possint ipsae, quae sunt proximae, sine famularum ministerio, vel sine amicarum esse solatio, expedit ut migrent ad aliud domicilium, quam propter illas personae contrariae teneantur; humanum est enim, ut nec Clericus illas necessariis foeminis fraudet, nec ipsae Clericum per importunas foeminas sordident. *(S. Cypr. de sing. Cleric.)*

Tunc ergo cavenda sunt foeminae participia, quando geritur carnalium curarum continua unanimiter frequentia; quoniam inter curas suas caro semper incitamenta cupidinis provocat, et illic parit fomenta peccandi, ubi pertra-

ctans commoda sua temporalis vitae cogitationibus senserit paululum relaxari, sicut Salomon asserit, dicens: Depriuit terrena cogitatio sensum multa cogitantem. *(Idem.)*

Etsi foemina utilior existimatur, non oportet carnalia emolumenta praeponere utilitatibus spiritualium commodorum. *(Idem.)*

Artificia sunt semper diaboli veneficia, quibus ingenium suae calliditatis exercens sanctimoniae deditos dolosis commoditatibus juvat ut perdat; et inter continentes quasi necessaria emolumenta mutuis adjuvaminibus subministrans agit prius masculum, et foeminam pariter conversari, ut, postquam inseparabiles fecerit per alterutra solatia possit occidere. *(Idem.)*

Perditionis meditatio est, frequentativum inter mulieres celebrare processum. *(Idem.)*

Inter epulas cum foeminis versari, idem est ac se in ignem projicere. *(S. Ephr. doctr. variae. c. 82.)*

Sunt alii, qui ideo Presbyterium, et Diaconatum ambiunt, ut mulieres licentius videant. *(S. Hier. ep. 22. ad Eustoch.)*

Unusquisque oculos a mulieribus removendo securitatem sibi comparare studeat, ne alioqui materia igni admota flammam excitet. *(S. Isid. Pelus. l. 3. ep. 11. Theoctisto.)*

Juvenculas ut sorores obsecra in omni castitate, ut nec nutus circa eas fiat in alloquio. *(Hugo Card. in 1. ad Tim. 5.)*

Quoniam autem ob necessarios quosdam casus aut pauperum dispensationes hoc minime fieri potest, ut omnino vitentur mulieres, curandum est, ut oculis humi defixis eas alloquamur; quamplurimis enim, aut etiam iis ferme omnibus, qui foeminarum pulchritudine subacti sunt, hoc accidit, ut mors per fenestras ad eos ascenderet. Quippe quae etiam magnum illum Prophetam, ac Regem vicerit. *(S. Isid. Pelus. l. I. ep. 89.)*

Mulierum colloquia funditus fugiamus; si id non possit, in eo enitendum est certe, ut quam rarissima, et quam brevissima fiant. *(S. Basil. Constit. Monast. c. 3.)*

Si propter officium Clericatus aut vidua visitatur aut virgo, nunquam domum solus introeas. Tales habeto socios, quorum contubernio ne infameris. *(S. Hier. ep. 2. ad Nepotian.)*

Foeminae cantu tolerabilius est audire basiliscum sibilantem. *(S. Cypr. de singul. Cleric.)*

Hoc est venenosius super cuncta. *(Idem.)*

Diabolus aures per canora tentat, ut Christianum molliat rigorem. *(S. Thom. opusc. 58. c. 21.)*

Sunt equidem necessitates aliae, quae nos quoque privatim foeminas videre compellant, ut solatia praebeamus, ut hortamenta vitalia salubriter intimemus: nec tamen et in iis officiis minor cura agenda est pro moribus nostris, ut clarescant in nostra operatione indicia puritatis; severitas non desit, quae sub Clerico foeminam possit astringere, ut ipsam consolationem nostram suscipiat cum tremore, et ita sentiat visitationis affectum, ut Clericum veneretur. *(S. Cypr. de sing. Cleric.)*

Presbyteris, Diaconibus, caeterisque Clericis infra claustra Monasteriorum puellarum non sit concessum habitare; neque enim intrent Monasteria, nisi tempore, quo Missarum solemnia celebranda sunt, vel alia quaelibet Ecclesiastica officia peragenda; quibus peractis statim egrediantur, ne ibi postea aliquam moram faciant. *(Conc. Turon. III. a. 813. sub Carolo Mag.)*

Monasteria Monialium, si quispiam Clericus sine manifesta, et rationabili causa frequentare praesumpserit, per Episcopum arceatur; et si non destiterit, ab officio Ecclesiastico reddatur immunis. *(Alexand. III. de vit. et honest. Cleric.)*

Ad eam, quae virginitatem profitetur, prorsus ne accesseris. *(S. Ephr. doct. var. c. 82.)*

Mulieres invisere aegrotantes, solari lugentes, et increpare languentes, et adjuvare afflictas oportet; quae omnia, dum fiunt, plures irrumpendi aditus daemon invenire potest, nisi exactissima quis ac munitissima custodia sese vallaverit; quippe animum ipsum ferit non impudicae tantum, sed etiam pudicae mulieris oculus. *(S. Jo. Chr. l. 6. de Sacerd.)*

Quocirca fugiendae inprimis cum mulieribus nobis congressiones sunt collocutionesque, neque ad eas accedendum, nisi cum gravissima nos aliqua ad eas necessitas impellat, et aliter facere non possimus; atque ipsa etiam, ubi nos necessitas adegerit, ab ipsis non secus atque ab igne cavendum est, adeo ut quam ocissime nulla mora ab istis nos extricemus. *(S. Basil. Const. Monast. c. 3.)*

Ante praevenienda est omni provisione calamitas foeminarum, cujus cupido, si admittitur incipere, nunquam prorsus accipit finem. *(S. Cypr. l. de sing. Cleric.)*

O Jesu mi dulcissime, Agne immaculate, tu me amanter invitas ad tuum Sacramentum, ut manducans hunc panem, qui cor hominis confirmat, et bibens illud vinum germinans virgines, maneam in te, et tu in me, ac vivam in aeternum: ac non solum me pretioso Sanguine tuo redemisti, sed etiam hoc ad bibendum mihi tradidisti, ut amplius lavarer ab iniquitatibus meis, et ut super nivem dealbatus torrente voluptatis potarer, et mundus corde te viderem in coelo. Offero me totum tibi in rationabile, et sempiternum obsequium. Nunquid saeculi illecebris aperientur oculi mei, postquam te, salutare Dei, viderunt? Absit. Ad te, pulchritudo antiqua, ad te erunt semper deinceps oculi mei; alioquin obscurentur, et pereant oculi mei. Nunquid os meum corpore tuo consecratum, tuoque purpuratum Sanguine, vaniloquia, et scurrilia, et turpia loquetur? Absit. Si enim locuturum sit, sermones tantum tuos loquetur; siquid esurierit, et sitierit, te solum, Angelorum panem, esuriet; te solum vitae fontem sitiet; solumque propter te justitiam esuriet, et sitiet ex abundantia cordis os meum; alioquin obstruatur, et pereat os meum. Nunquid istud cor meum, in quo propter nimiam charitatem tuam tibi sanctuarium parasti, ut jam te in hoc exilio possideam, aliud praeter te, aut nisi propter te amabit? Absit, mi Jesu, absit. Te solum, utpote summe amabilem, diliget cor meum. Pereat ergo cor meum, si non amet te propter te summe dilectum. Indica mihi quid me velis facere, ut placeam tibi omnibus diebus vitae meae; da quod jubes, et jube quod vis. Claudantur interim omnes sensus mei omnibus rebus creatis, ut pro te solo vivant, et te solo delectentur.

CAPUT XXV.

De mundi cupiditate, deque saecularibus negotiis, et laicorum familiaritatibus vitandis.

Non habebunt Sacerdotes, et Levitae partem, et haereditatem cum reliquo Israel, Dominus enim ipse est haereditas eorum. *(Deut. 18. 1.)*

De mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo. *(Jo. 15. 19.)*

Nolite diligere mundum, neque ea, quae in mundo sunt. *(I. Jo. 2. 15.)*

Nos non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur. *(I. Jo. 4. 5.)*

Quicumque ergo voluerit amicus esse saeculi hujus, inimicus Dei constituitur. *(Jac. 4.)*

Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo, quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae, quae non est ex Patre, sed ex mundo est. *(Idem.)*

Propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini vel quia ipse Dominus sors, idest pars Clericorum est. Qui autem vel ipse Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut et ipse possideat Dominum, et possideatur a Domino. Quod si quippiam aliud habuerit praeter Dominum, pars ejus non erit Dominus. *(S. Hier. ep. ad Nepot.)*

Omnia sane dixerim non tantum possessiones, sed et cupiditates, et eas maxime: plus enim concupiscentia mundi. quam substantia nocet, et haec fugiendarum causa divitiarum praecipua est. *(S. Bern. sup. verb. S. Petr. Ecce nos reliquimus.)*

Quid enim haec minima, quae tu vocas magna, ex mundo polliceris, cum mundus universus a nobis despiciatur? *(S. Basil. hom. in 40. Mart.)*

Nec potest quisquam meritum Regni coelestis adipisci, qui mundi cupiditate possessus emergendi non habet facultatem *(S. Ambr. in c. 6. S. Luc. ad. v. 20.)*

Abnegantes impietatem, et saecularia desideria, quae in hoc saeculo deficiunt, atque dilabuntur, saecularia desideria sunt; nihil igitur nobis sit commune cum saeculo. *(S. Jo. Chr. hom. 4. in ep. ad Tit. c. 1.)*

Quid agis, frater, in saeculo, qui major es mundo? *(S. Hier. ep. 1. ad. Heliod.)*

Abrenuntio, nihil est aliud, quam crucis ac mortificationis indicium; ideoque moveris hodierno die te huic mundo, et actibus ejus ac desideriis esse defunctum, teque secundum Apostolum mundo huic esse crucifixum, tibique hunc mundum. *(Cass. l. 4. Instit. c. 34.)*

Considera ergo conditiones crucis, sub cujus te deinceps sacramento oportet in hac luce versari, quia jam tu non vivis, sed ille vivit in te, qui est crucifixus pro te: eo er-

go habitu, et figura, qua pro nobis in patibulo fuit ille suspensus, nos quoque necesse in hac vita degere. *(Idem.)*

Mortuum sibi deputet mundum, ac se mundi blandientis illecebris exhibeat crucifixum. *(S. Prosp. l. 1. de vit. contempl. Sacerd.)*

Qui crucem portat, debet et mundo mori; nam ferre crucem et mori, mortificare seipsum est; ferre et non mori, simulatio hypocritarum est. *(S. Isid. Hispal. l. 2. Sentent. de sum. bo.)*

Oportet ut, qui Deum haereditate possident, absque ullo impedimento saeculi Deo servire studeant, et pauperes spiritu esse contendant, ut congrue illud Psalmistae dicere possit: Dominus pars haereditatis meae. *(Idem.)*

Cui praecipitur ut caput suum non discooperiat, idest, ut cor suum hujus mundi desideriis non expandat, sed occultum semper in adipiscendi Regni coelestis intentione custodiat. *(Petr. Dam. opusc. de dign. Sacerd. c. 1.)*

Quisquis ergo in procinctu coelestis militiae positus ad supernae patriae municipium properat, studeat male blandientis mundi promissa respuere, abhorreat se sub qualibet specie actionum saecularium laqueis irretire. *(Idem.)*

Sed quod admirandum est et dolendum, plus eis quam caeteris gravis et austera videtur disciplinae regula; quare hoc? nisi quia secularem magis diligunt vitam. *(S. Bern. de ord. vit.)*

Ad hoc enim a Deo dati estis Praesules, ut depravatos mores ac leges mundi verbis et exemplis viriliter impugnetis, *(S. Barthol. a Martyribus. p. 2. c. 6.)*

Quomodo pro Christo suum dabit sanguinem, qui pro eo non vult abjicere mundi vanitatem, cum nos minus quam nostra diligamus *(S. Augustin. de contempta mundi.)*

Deus lumen cordis mei . . . . amicitia hujus mundi fornicatio est abs te. *(Idem Confes. c. 13.)*

Amor Dei, amor proximi, charitas dicitur. Amor mundi, amor hujus saeculi cupiditas dicitur. Cupiditas refraenetur, charitas excitetur. *(Idem, Enarrat. 2. in Ps. 21.)*

Quo nobis gratiam mundi, quae est odium Christi? *(S. Paulin. ep. ad Severin.)*

Gratulemur iisdem nos displicere, quibus et Deus displicet. *(Idem.)*

Ergo, qui vult Deum possidere, renuntiet mundo, ut sit illi Deus beata possessio. *(S. Prosp. l. 2. de vit. contempl. Sacerd. c. 16.)*

Quisquis sapientiam, quae Deus est, videt, huic vitae funditus moritur, ne jam ejus amore teneatur; nullus quippe eam vidit, qui adhuc carnaliter vivit, quia nemo potest Deum simul amplecti et saeculum: qui enim Deum videt, eo ipso moritur, quo vel intentione cordis, vel effectu operis ab hujus vitae delectationibus tota mente separatur; unde adhuc ad eumdem Moysen dicitur: Non enim videbit me homo, et vivet; ac si aperte diceretur: Nullus unquam Deum spiritualiter videt, et mundo carnaliter vivit *(S. Gr. P. in illud Job. Abscondita est ab oculis viventium.)*

Sciebat Apostolus, quae Dei, et quae mundi sunt, neminem simul posse diligere: alteri subtrahitur, quod uni plus, quam ratio exigit, praebetur. *(B. Esai. or. 81.)*

Nemo potest duobus dominis servire, id est, mundo, et saeculo. *(S. Anselm. 2. Tim. 2.)*

Verum tu, Sacerdos Dei Altissimi, cui ex his placere gestis, mundo, an Deo? Si mundo, cur Sacerdos? Si Deo, cur, qualis populus, talis et Sacerdos? Nam, si placere vis mundo, quid tibi prodest Sacerdotium? nec enim potes duobus dominis servire. Volens itaque placere hominibus, Deo non places, si non places non placas. *(S. Bern. ep. 42. ad Henric. Senon. Archiep.)*

Concupiscentiam carnis universam accipe corporalium sensuum delectationem, qua quidem ne ipsa curiositas caret, ac deinceps concupiscentiam oculorum, quaecumque ad humanum diem, quem Propheta minime concupivit, et saecularem gloriam, et extrinsecam pertinent vanitatem. Porro in superbia vitae elationem cordis intellige. Haec tria qui diligit, mundum diligit, et Dei constitutus est inimicus, *(Idem.)*

Amatores saeculi inimici crucis crucifixi, cujus in vanum accepto nomine dicuntur Christiani. *(Idem serm. 1. de Resurect.)*

Qui mundum diligit, Dei constitutus est inimicus; suscipiat autem, qui ejusmodi est, reconciliationis officium, non mediatoris, qui etiam proditoris scelere inimicitias cumulavit, ut merito jam non ut hostis, sed ut traditor judicetur, ut Judas utique, non ut Saulus: nam impudentia, et frontositas cum obduruerit, ut non paveat, non horreat, non contremiscat, ea jam demum desperatio est. Quid enim horum sibi conscius homo, tanquam qui justitiam fecerit, divino sese vultui sistere non veretur, tanquam domesti-

eus intrat et exit, magistrum salutat, genua flectit, osculatur ore sacrilego, dolose agit, sed in conspectu Dei, ut inveniatur iniquitas ejus ad odium. Odibilis plane Deo frontosa temeritas, et impudentia execranda. *(Idem. declam. c. 8.)*

Leva, quaeso, oculos, tuos, et vide, et suscipe lumen Coeli: cogita quia de terra exempti sunt amici Dei, quorum conversatio in Coelis est. *(Petr. Bles. ep 91. ad Radulph. Lexov. Epis.)*

In mundo et per oculos et per aures irritamenta ad peccandum suscipiuntur, et latenter ipsi assuescimus. *(S. Basil. quaest. fus. disp. q. 6.)*

Cui propter mundum Christus crucifixus est, quomodo potest esse servus partium mundi. *(Idem.)*

Homo Dei nomine consecratus, et Deo votus, in quantum mundo moritur, ut Deo vivat, sacrificium est. *(S. Aug. l. de Civit. Dei c. 6.)*

Quid amplius habent commune cum mundo, qui mundo renuntiaverunt? *(S. Nil. lib. ascet.)*

Dominus pars haereditatis meae; quid ultra quaerit, cui omnia suus conditor fit? Aut quid ei sufficit, cui ipse non sufficit . . . . . . *(S. Prosp. l. 2. de vit. contempl. Sacerd.)*

Qui mundum deseruisti, quae mundi sunt ne contigeris: amant enim sopita desideria reviviscere. *(Clim. grad. 3.)*

Vos jam non estis de mundo . . . videte tamen quia Deus non irridetur: recolite quid in vestra conversione promiseritis Deo: cavete ne aedificetis excelsa Tophet, et Jerusalem in sanguinibus. Qui semel egressus est de Ægypto, si appetit allia, et pepones Ægypti; si ad mundum, quem evomuit, revertitur, reaedificat suam Jericho, et moritur suus primogenitus, quia meritum suae primae conversionis extinguitur. *(Petr. Bles. ser. 55. ad Sacerdotes.)*

Si mundum praedicas contemnendum, contemne tu prius, et ad illud efficacius alios invitabis. Da voci tuae vocem virtutis, et statim erit in ore tuo vivus, et efficax sermo Dei. *(S. Bern. ad Past. in Syn.)*

Unigenitus, qui est in sinu Patris, nonne de secreto suo prodiit ad publicum nostrum? Nonne de Coelo descendit ad terras, ut praedicatione, et conversatione sua persuaderet hominibus contemptum mundi? Nonne vos estis Vicarii ejus? Nonne, quod praedicavit, et vos debetis praedicare; quod dissuasit, dissuadere, quod persuasit, persu-

adere? A Christo dicti estis Christiani; nonne ea via, qua Christus ambulavit, et vos debetis ambulare? Nonne, sicut conversatus est, et vos Vicarii ejus debetis conversari? Ita plane, nisi forte doctiores eo fueritis vel sanctiores. *(Idem)*

Ex contemptu si quidem mundi, et humilitatis forma Christi aedificatur Ecclesia. *(S. Laur. Justin. de regim. Praelat. c. ult.)*

Habens spiritum mundi, non potest ab aliis expellere eundem spiritum mundi. *(Stimul. Past. Archiep. Bracchar. p. 2. de hum. et mod. Prael.)*

Ad hoc a Deo dati estis, Praesules, ut depravatos mores ac leges mundi verbis, et exemplis viriliter impugnetis, quas David vocat vanitates, et insanias falsas. *(Idem)*

Totus mundus in malo situs est; ergo, qui extra malum esse vult, necessario sese a mundo segregabit; non enim locum habet tentatio animam attingendi, nisi tanquam escam quamdam hanc mundanam occupationem pravo hamo aviditoribus porrigeret. *(S. Greg. Niss. or. 3. de Orat. Dom.)*

Hoc autem absolute dicimus, quod tantis insidiarum tendiculis hoc tempore mundus iste densatus est, ut quisquis hujus sacri Ordinis desiderat innocenter vivere, ab illius processu cautissime se expediat abstinere: cujus videlicet iter si saepe terit, procuratos insidiarum laqueos non evadit. *(S. Petr. Dam. opusc. 12. de contempt. saecul. c. 12.)*

Tot criminum magis ac magis in dies mundus contaminatione pollicitur, ut quaelibet sancta mens sola ejus consideratione foedetur. *(Idem.)*

Mundus enim in maligno positus est, plenus periculis, plenus laqueis, plenus scandalis, plenus colloquiis pravis, exemplis malis, proditoriis verbis, iniquis consiliis. *(Petr. Bles. ep. 1.)*

Prima est virtus, atque adeo universa virtus, esse hujus mundi hospitem atque peregrinum, et cum iis, quae hic sunt, rebus et negotiis nihil habere commune, sed ab iis pendere tanquam ab externis. *(S. Jo. Chrys. hom. 24 in c. 11. ad Hebr.)*

Mortuus vivas crucifigens te mundo et tibi mundum; quotidie moriens per fidem verbi, et vivens in verbo fidei. *(S. Paulin. ep. ad Severum c. 5.)*

Mundialium sensus aut parvi aestimandi sunt, aut nihil omnino faciendi. *(Salvian. l. 4. ad Eccl. Cathol.)*

Amatores mundi pugnant aliquando pro fide, et aliis proficiunt; ipsi vero amore terreno implicati coelestia non requirunt, sed verbo tantum fidem defendunt. *(S. Isid. Hispal. l. 2. Sentent. c. 2.)*

Quidquid in saeculo arridet, tanquam ludificatoriae imaginationis somnium deputa. *(S. Petr. Dam. opusc. 21. de fuga dign. Eccles. c. 1.)*

Si mundum praedicas contemnendum, contemne tu prius; et ad ipsum efficacius alios invitabis; da voci tuae vocem virtutis; consonet vita verbis, et statim in ore tuo vivus, et efficax sermo Dei, et penetrabilior omni gladio ancipiti. *(S. Bern. serm. ad Past. in Synodo.)*

Unica fuga, et separatio ab omni mundo. *(S. Basil. ep. 1.)*

Recessus a mundo non est corporaliter extra ipsum esse, sed animam a consensu ad corpus avellere, et esse extorrem sine domo, sine re privata, sine amicorum sodalitate, inopem, vitae negligentem, a negotiis alienum, ab omnibus vitae commerciis separatum. *(Idem.)*

Qui salvus esse vult, supra mundum ascendat, quaerat verbum apud Deum, fugiat hunc mundum, terras relinquat. *(S. Ambr. l. de fuga saeculi c. 1.)*

Considera quemadmodum eos, qui ad officia Ecclesiae accedunt, despicentiam rerum humanarum habere debere deceat. Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi, quid adhuc velut viventes decernitis ne tetigeritis. *(Idem l. 1. Offic. c. 3.)*

Patriae tuae peregrinus, et exul, istius mundi ut si incola paradisi, et patriae civis antiquae. *(S. Paulin. in ep. ad Sever.)*

Nihil obest scientibus Deum ignorantia mundi; perfecte autem scit, qui potius Deum et ista non pro se, sed pro Deo scit. *(S. Isid. Hispal. l. 2. Sentent. c. 1.)*

Mortui esse debent mundo Sacerdotes, et eorum vita abscondita cum Christo in Deo. *(Quid. Auct.)*

Sicut is, qui patibulo crucis affligitur, non jam praesentia contemplatur, nec de suis affectionibus cogitat; non pro die crastino sollicitudine, curaque distenditur; nulla possidendi concupiscentia promovetur; nulla superbia, nulla contentione, nulla aemulatione succenditur; non de præsentibus dolet injuriis; non praeteritarum jam recordatur; seque, cum adhuc spirat in corpore, cunctis elementis credit esse defunctum, illuc promittens sui cordis intuitum,

quo se non dubitat illico transiturum; ita nos quoque timore Domini crucifixos oportet his omnibus, idest, non solum carnalibus vitiis, verum etiam ipsis elementis mortuos esse, illuc habentes oculos animae nostrae defixos, quo nos sperare debemus momentis singulis migraturos. *(Cassian. l. 4. instit. c. 35.)*

Debet esse mundo corde Sacerdos, ut non solum non se immisceat circa negotia saecularia, sed ne cogitet de mundo; sicut enim oculus, quanto mundior fuerit, tanto longius videt: sic et anima, quanto longius fuerit a sollicitudine mundiali, tanto amplius Deo proximior est. *(S. Jo. Chr. hom. 10. in Matth.)*

Nisi quis renuntiaverit omnibus, quae possidet non potest .... Vidit peritus magister suos discipulos luctaturos cum mundo, qui si haberent, unde tenerentur, levius dejicerentur. Tulit igitur arma suis et nostris hostibus, dum nos privavit terrenis possessionibus. Nudus namque latrones non solet timere; qui vero se mundanis implicat, tela parat, quibus confodiatur. Qui ergo non vult confodi, nudus procedat per viam hujus exilii. *(Int. op. S. Aug. de contempl. mund. c. 5. incert. auct.)*

Qui habuerit maculam, non offeret panes Domino Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus ... si gibbus ... gibbus Christo est, quem terrenae sollicitudinis pondus deprimit, ne unquam ad superna respiciat; sed solis his, quae in infirmis calcantur, intendat. *(S. Gr. in Past. p. 1.)*

Nemo, inquit Apostolus, militans Deo hujus vitae negotiis implicetur; etenim, qui hisce implicitas affectiones superare voluerit, similis est ei, qui paleis conatur incendium restinguere. *(B. Marcus Eremita p. 2. de lege spir.)*

Qua mente animarum Praesul honore pastorali inter caeteros utitur, si in terrenis negotiis quae reprehendere in aliis debuit, et ipse versatur? *(S. Gr. P. in Past. p. 2.)*

At contra nonnulli gregis quidem curam suscipiunt, sed sic sibimet vacare ad spiritualia appetunt, ut rebus exterioribus nullatenus occupentur. Qui cum curare corporalia funditus negligunt, subditorum necessitatibus minime concurrunt. Quorum nimirum praedicatio plerumque despicitur; quia dum delinquentium facta corripiunt, sed tamen eis necessaria praesentis vitae non tribuunt, nequaquam libenter audiuntur. *(S. Gr. P. in Past. p. 2.)*

Qui adhuc desideriis terrenis adstringitur, caveat ne di-

stricti iram judicis gravius accendens, dum loco delectatur gloriae fiat subditis auctor ruinae. *(Idem c. 10.)*

Tota vita Sacerdotis debet esse coelestis, et nullum cum terrenis affectibus debet habere commercium. *(S. Th. de Villan. conc. 3. de S. August.)*

Satis videtur absurdum, ut Clerici quis praetendat in Ordine speciem, et saecularium teneat vivendo conversationem; et quem a laicorum turmis professionis conditio separat, turpe est, si vel domestica conversatio, vel peculii abominanda proprietas laicum esse convincat. Quid enim illius poterit concupiscentiam satiare, cui non potest ipse Deus in possessione sufficere? *(S. Petr. Dam. op. 4. de comm. vit. Canc.)*

Clericus a strepitu negotiorum saecularium remotissimus studiis spiritualibus, quibus in dies singulos melior, ac melior fiat, invigilet. Amet otium sanctum, in quo exerceat animae suae negotium. Mortuum sibi deputet mundum, ac se mundi blandientis exhibeat crucifixum. *(S. Prosp. l. 1. de vit. contempl. c. 8.)*

Quomodo nos vitam corrigere valemus alienam, qui negligimus nostram? Curis enim saecularibus intenti, tanto insensibiliores intus efficimur, quanto ad ea, quae foris sunt, studiosiores videmur. *(S. Gr. P. hom. 17. in Evang.)*

Sunt quidam praepositi non Deum propter quaerentes, sed lucris inhiantes, honores ab hominibus appetentes. *(S. Aug. in Jo. tr. 26.)*

Caput radere signat cogitationes terrenas superfluas a mente resecare. *(Idem.)*

Quotidie Clericos abjecta caeterarum rerum cura uni Deo vacare prorsus debere. *(S. Silvest. in lect. Brev.)*

Impietatis crimen est, neglectis Dei studiis, sollicitudines suscipere saeculares. *(S. Clem. P. ep.)*

In procuratores, dispensatores, caupones redacti sunt Sacerdotes; ob istarum rerum curam, et solicitudinem illa solicite curant, quae publicanis, quaestoribus, atque villicis curanda sunt, de his quotidie cogitant, et pervigilant. *(S. Ambr. hom. 68. in Matth.)*

Qui solicitus de mundo potuit bene solicitus esse de Christo? Quis dum lucris domus suae providet, utilitatibus Ecclesiae potuit providere? *(Idem.)*

Duo sunt genera Christianorum. Est autem unum genus, quod mancipatum Divino Officio, et deditum contemplationi, et orationi, ab omni strepitu temporalium cessare

convenit, ut sunt Clerici. Aliud vero genus est, ut sunt laici: his licet temporalia possidere. *(S. Hier. ad quemd. Levit. refertur. 12. q. 1. c. duo sunt.)*

Omne quod delectat eligunt, amplectantur, quod molestum et fugiunt, et declinant: sumptus ecclesiasticos gratis te habere reputas? *(S. Bern. in verb. Ecce reliq. omn.)*

Dei causam relinquimus, ad terrena negotia vacamus: locum sanctitatis accipimus, et terrenis actibus implicamur. Impletum est in nobis profecto, quod scriptum est: *Et erit sicut populus, sic Sacerdos.* Sacerdos enim non distat a populo, quando nullo merito suo vulgi transcendit actionem. *(S. Gr. P. hom. 17. in Luc.)*

Ut plenius possit vir Ecclesiasticus spiritualibus vacare, quoad ejus fieri poterit, a negotiis saecularibus abstineat, qualia sunt testamentariorum, vel executorum, vel procuratorum rerum civilium, aut id genus officia, nec ea ullis precibus adducti obeunda suscipiant, vel in illis se occupari sinant. *(Quid. Auct.)*

Haec res Sacerdotem vilem reddit, et reverentiam Sacerdotalem annihilat. *(Dist. 88. c. 4.)*

Absurdum Clericis est, immo opprobriosum, si peritos se velint ostendere disceptationum esse forensium. *(Leg. 36. Cod. de Epis. et Cleric.)*

Ne Clerici Sacris initiati, aut beneficiati se suamque operam laicis quantumvis nobilibus addicant, ad rerum domesticarum dispensationem, negotiorum civilium procurationem; cellae vinariae, vel annonae regimen, aut aliquid aliud vile, indecorumque suo Ordini ministerium. *(Conc. Rehemens. a. 1583.)*

In toto vitae genere nihil in eis debet apparere quod vanitatum contemptum non praeseferant. *(Conc. Trid. de Refor. c. 1.)*

Nonnulli quod dolendum est, reperiuntur qui terrena coelestibus praeferentes in diversis curis vagantur, aut in negotiorum temporalium sollicitudine. *(Idem. Sess. 6. c. 1.)*

Sacerdotibus, et Clericis tuis denuncies publice, ne ministri laicorum nec in rebus eorum procuratores existant. *(Cap. Ne Cler. vel Mon.)*

Meminisse debes non aliunde Clericalis Ordinis dignitatem fuisse gravius offensam, quam nimia laicorum familiaritate, et frequentiori cum illis convivio, ludo, et spectaculo. *(Conc. Aquil. a. 1596.)*

Ministeriis saecularibus ne se immisceant, et ab omni-

bus se abstineant, quae Ecclesiae ministris indecora sunt, et a S cris Canonibus vetantur. *(Cap. Multa ne Clerici, vel Monac. Clem. I. de vit. et honest. Cler.)*

Sicut omnis Sacerdos, et Clericus ab omnibus segregatur, et assumitur in his, quae sunt ad Deum, ita debet eximi, et separari ab hominibus, saeculo, et mundo servientibus sive in sermone, sive in exteriore quocumque habitu, et gestu, ut internoscatur servire Deo, et non mundo. *(Syn. Ebroic. an. 1576.)*

Statutum est ut obnoxii alienis negotiis non ordinentur. *(Conc. Carth. 1. Can. 9.)*

Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus saeculares curas non suscipiat, alioquin deponatur. *(Can. Apost. 6.)*

Clerici officia vel commercia saecularia non exerceant. *(Innoc. III. in Conc. Gener. c. 16.)*

Ministri autem Altaris Domini nobis placuit ut a negotiis saecularibus omnino abstineant. *(Conc. Mogunt. a. 813. c. 14.)*

Vacuum a saecularibus oportet esse animum divinae servitutis obsequio consecratum. *(Petr. Bles. de Inst. Episc.)*

Sub modio lucernam ponit quisquis lucem bonae doctrinae commodis temporalibus obscurat. *(S. August.)*

Ministerium altaribus Christi non obsequium hominibus deferendum recipimus. *(S. Ambr. l. I. Offic. c. 21.)*

Qui conversationibus gaudet humanis saeculum nondum odisse ostendit. *(S. Ephr. de Sac.)*

Miraculum est, si Sabbathum quietis vestrae non turbat tumultuatio popularis. Habitatis in medio populi polluta labia habentis, qui vobis verbum illud derisorie frequenter adaptant: *Commixti sunt inter Gentes, et didicerunt opera eorum. (Petr. Bles. ep. 134.)*

Fugiant omni studio Sacerdotes tanquam suae dignitati, et saluti exitiales nimias cum laicis familiaritates, et necessitudines. *(Quid. Auct.)*

Clericum solitudo facit, non publicum. *(S. Hier. ep. ad Ocean.)*

Quem a laicorum turbis professionis conditio separat, turpe est si vel domestica conversatio laicum esse convincat. *(S. Petr. Dam. de Com.)*

Quot fuerunt, et sunt, qui tanquam ardentes lampades, et mundi luminaria lucebant, paulatim, ac frequenti saecularium, et consolatione tepefacti ad prima opera saecularis vitae miserabiliter redierunt. *(S. Laur. Just.)*

Multum deorsum trahimur, dum locutione continua saecularibus admiscemur. *(S. Gr. P.)*

Placere tantum hominibus velle, Deo est displicere. *(S. Hil. in Ps. 52.)*

Tolle hoc vitium a Clero, ne velint hominibus placere, et sine labore omnia vitia resecantur. *(Auct. op. imp. in Matth. hom. 43.)*

Urbis conversationes reliqui velut infinitorum malorum occasiones. *(S. Basil. ep.)*

Saepe experti sumus tam in nobis, quam in aliis quod frequens conversatio cum saeculo devotionem mentis extinguit, studium profitendi debilitat, delicias docet amare, orationes negligere. *(S. Bonav. inst. novit. p. 1.)*

Maximi Sanctorum humana consortia quantum poterant vitabant, et Deo in secreto servire cupiebant. Dixit quidam, quoties inter homines fui, minor homo redii. *(Imit. Chr. l. 1. 20.)*

Clericum non familiaritas, sed segregatio laicorum honorat. *(Quid. Auct.)*

Cave ne parentum, ne affectionis pristinae recorderis, et ad curas hujus saeculi sollicitudinesque revocatus secundum Salvatoris sententiam ponens manum tuam super aratrum, et aspiciens retro, Regno Coelorum aptus esse non possit. *(Cass. l. 4. Instit. c. 30.)*

Cave ne secundum Apostoli sententiam, quae destruxisti, iterum recedificans praevaricatorem constituas temetipsum; sed potius ut in hac nuditate, quam coram Deo, et Angelis ejus professus es, ad finem usque perdures. *(Idem.)*

Cave ne ad humiles, terrenasque mundi hujus concupiscentias, ac studia revolvaris, et contra Christi mandatum de perfectionis tecto descendens tollere aliquid praesumas ex his, quae abrenuncians abdicasti. *(Idem.)*

Cave ne quid aliquando eorum resumas quae renuntians abjecisti, et contra Domini interdictum de agro evangelicae operationis reversus inveniaris tunica tua; qua te spoliaveras, revestiri. *(Idem.)*

In his perdis tempus, in his stulto labore consumeris, quae non sunt nisi afflictio spiritus, evisceratio mentis evacuatio gratiae; nam fructus illarum quid, nisi aranearum telae? *(S. Bern. l. I. de consid. c. 2.)*

Saecularibus relinquatur saecularia jura componere; sa-

tis sit servis Dei perituro huic mundo se mortuos exhibere. *(S. Petr. Dam. opusc. 12. de contemp. saecul.)*

Ab omni saecularitate sis liber. *(Petr. Bles. ep. 16. ad Epis. quemd.)*

Sciebam damnabile esse in Clerico se curialibus, ant saecularibus negotiis immiscere. *(Idem. ep. 14. ad Sacell. Reg. Anglor.)*

Abstineant ab omnibus, quae distrahunt a Deo; haec autem sunt negotia saecularia. *(S. Th. in 2. ad Tim. 2. 4.)*

Sanctus non vacat saeculi rebus. *(S. Hil. in Ps. 118.)*

A subditis ergo inferiora gerenda sunt, a rectoribus summa cogitanda, ut scientiae oculum, qui providendis gressibus praeeminet, cura pulveris non obscuret. *(S. Gr. P. in Past. p. 2.)*

Sicque fit ut, dum urgeri se mundanis tumultibus gaudent, interna, quae alios docere debuerant, ignorent. *(Idem)*

Caput namque subjectorum sunt cuncti, qui praesunt; et, ut recta pedes itinera valeant carpere, haec proculdubio caput debet ex alto providere, ne a profectus sui itinere pedes torpeant, cum curvata rectitudine corporis caput sese ad terram inclinat *(Idem.)*

Modis omnibus cave ne saecularibus te involvas; nulla enim consonantia est Spiritus Dei ad spiritum hujus mundi: permane in vocatione tua: mundus in maligno positus est. *(Petr. Bles. de Instit. Episc. c. 43.)*

Animabus praelatus es, non corporibus: nihil Praelato commune est cum Pilato. *(Idem. c. 5.)*

Ero autem transgressor Dominicae legis, si sustineam quod nemus juxta Altare Domini erescat, quod circa Ecclesiae Rectorem sollicitudinum multitudo sylveseat. *(Idem ep. 16. ad quemd. Episc.)*

Saecularia igitur judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum; ut videlicet dispensationibus terrenis inserviant, quos dona spiritualia non exornant. *(S. Gr. P. in Past. p. 2. c. 7.)*

Holocausta medullata offeram tibi, Psal. 68 .... Quisquis autem se per negotiorum saecularium exercitia delectabiliter fundit, holocausti sui medullas cum visceribus subtrahit, et solam victimae pellem Deo, quae offerri prohibetur, adolere contendit. *(S. Petr. Dam. apol. c. 12.)*

Ubi aliquando quispiam Apostolorum judex sederit hominum, aut divisor terminorum, aut distributor terrarum. *(S. Bern. l. 1. de Consid. c. 6.)*

Stetisse denique lego Apostolos judicandos, sedisse judicantes non lego. *(Idem.)*

Quidni contemnant judicare de terrenis possessiunculis hominum, qui in coelestibus et Angelos judicabunt? *(Idem.)*

Magnis addictus es, noli minimis occupari: minima, et vilia sunt, quaecumque ad saeculi quaestus, et non, ad lucra pertinent animarum. *(Petr. Bles. de Instit. Episc:)*

Quid tibi ad fiscales redditus, ut vel horula brevi curam posthabeas animarum. *(Idem.)*

Est et aliud, fratres charissimi, quod me de vita Pastorum vehementer affligit.... curis enim saecularibus intenti, tanto insensibiliores intus efficimur, quanto ad ea, quae foris sunt studiosiores videmur; usu quippe curae terrenae a coelesti desiderio animus obdurescit, et, dum ipso suo usu durus efficitur, per actionem saeculi ad ea emolliri non valet, quae pertinent ad charitatem Dei. *(S. Gr. P. hom. 17. in Evang.)*

Hi, qui pro amore Dei saeculo renuntiant, et tamen curis rerum familiarium implicantur, quanto se rerum studiis occupant, tanto a charitate divina seipsos separant. Qui simul et terrenis parere curis, et divinis exercere student, utrumque complecti simul non valent; nam duas curas pariter inesse pectori humano non posse, et duobus servientem dominis utrisque placere difficile est. *(S. Isid. Hisp. 3. Sent. c. 21.)*

Super patre, et matre non contaminabitur, id est, neque mundi negotiis, neque mortalis hujus vitae desiderio polluatur. *S. Petr. Dam. opus. 25 de dign. Sacerd.)*

Unde bene subjungitur: De Sanctis non egredietur, ne polluat sanctuarium meum: de sanctis enim Sacerdos egreditur, cum neglectis animarum curis per desideria terrena vagatur; de sanctis egreditur, cum Ecclesiastica disciplina postposita transeuntium causarum negotiis immoderatius implicatur. Ubi mox apte subjungitur: Ne polluat sanctuarium meum. Sanctuarium quippe polluitur, cum Sacerdos quilibet per desideria terrena sparsus, causisque saecularibus dissolutus sacrosanctis Altaribus audacter assistere non veretur, cum videlicet fit, quod per Prophetamdicitur; Et erit, sicut populus, sic Sacerdos. *(Idem.)*

Nimis impossibile est ut is, qui rerum familiarium curis opprimitur, qui simul habitando, et colloquendo turbis quotidie popularibus admiscetur, mundo corde sanctis valeat interesse mysteriis, in quibus videlicet terribilibus Sacra-

mentis Coelum aperitur, et virtutes angelicae simul cum hominibus diversantur. Quantae ergo munditiae debent esse Clerici, quam nitidi, quam denique a cunctis negotiorum saecularium foetoribus alieni. *(Idem.)*

Sacerdotes in Corpore Christi oculorum tenere vices obscuratisque oculis totum corpus fieri tenebrosum, quis dubitet? Ex quo ingenti periculo Sacerdotes, qui Ecclesiae oculi sunt, negotiis saeculi, curis pecuniae, et familiarium rerum incrementis, et conviviorum luxibus occupantur. *(S. Hilar. in Ps. 138.)*

Devovisti animam tuam ad destruenda omnia, quae sunt hujus saeculi; quomodo autem quaeris saeculum, cui renuntiasti? *(S. Ambr. Tract. ad Virg. devot. c. 1.)*

Modis omnibus cave ne saecularibus te involvas; nulla enim consonantia est spiritus Dei ad spiritum hujus mundi: permane in vocatione: mundus in maligno positus est *(Petr. Bles. de Instit. Episc.)*

Frequens exitus, et conversatio cum saeculo, et occupatio nimia exterior devotionem mentis extinguit, fervorem spiritus tepefacit, forte propositum virtutis emollit, cor dissolvit, studium proficiendi debilitat, delicias docet amare, sine fructu tempus expendere, orationes negligere, Horas Canonicas desidiose, et in cursu dicere; tandem subintrant aquae tentationum... *(S. Bonav. de Instit. Novit. p. 1.)*

Multum deorsum ducimur, dum locutione continua saecularibus admiscemur. *(S. Gr. P. l. 3. Dial. c. 15.)*

Laquei, et pedicae sunt aspirantibus ad salutem saecularium congressus, ac prolixae eorum confabulationes mentem prorsus avocant a Dei glorificatione, et spirituali laetitia. *(B. Antioch. hom. 102. Floruit cir. in. VII. saec.)*

Hinc est, quod mens extra se sparsa confunditur, auris cordis obtunditur, lux divini amoris extinguitur, terror in alios, et reverentia Sacerdotalis amittitur, et, quod periculosius est, recte vivendi linea, quae aliis ad exemplum proponenda fuerat, non tenetur. *(S. Petr. Dam. opusc. 20. c. 7.)*

Nimis impossibile est, ut is, qui simul habitando, et colloquendo turbis quotidie popularibus admiscetur, mundo corde sanctis valeat interesse mysteriis. *(S. Petr. Dam. opusc. 4. de com. vit. Canonic. c. 3.)*

Eligant sibi alii partes, quibus fruantur terrenas, et temporales; portio Sanctorum Dominus aeternus est: bi-

bant alii mortiferas voluptates, pars calicis mei Dominus est. *(S. Aug. in Ps. 15.)*

Cum ad universi orbis magisterium discipulos missurus esset, ad angelicam, ut ita dicam, disciplinam ex humana vita traducit, ab omni cupiditate saecularium rerum liberos reddens, ut praedicationi Evangelii solummodo vacarent. *(S. Jo. Chr. hom. 33. in Matth.)*

Nos vero, charissimi, qui studio virtutis invitati vitae, mundique cupiditatibus renuntiavimus, nobisque Christum sequendum proposuimus, quid rursum saeculi negotiis implicamur? Cur, quae bene destruximus, reaedificamus? Cur ea, quae non decent, exercentes malis consiliis utimur, et vanitatum studio animos infirmiorum incendimus, et simplicioribus viam ad avaritiam patefacimus? *(S. Nilus. in Ascet.)*

Festinemus transire a Sacerdotibus Pharaonis, quibus terrena possessio est, ad Sacerdotes Dei, quibus in terra pars non est. *(S. Euch. Lugd. l. 3. Comm. in Gen. c. 47.)*

Quidquid in saeculo arridet, tanquam ludificatoria imaginationis somnium deputa. *(S. Petr. Dam. opusc. 21. de fuga dign. Eccl. c. 3.)*

Portio nostra sit Dominus, atque adscripti turmis contribulium Levitarum, non remaneamus terreni, quibus terra non remanet; inchoemusque uti a saeculi lucris, sic quoque a culpis peregrinari. *(Sidonius Apollin. l. 9. ep. 3.)*

Cui portio Deus est, nihil curare debet praeter Deum, ne alterius impediatur necessitatis munere. Quod enim ad alia officia confertur, hoc Religionis cultui, atque huic nostro officio decerpitur. *(S. Ambr. de fug. saecul. c. 2.)*

Quid potest eo esse felicius, cui efficitur suus Conditor census; et haereditas ejus dignatur esse ipsa Divinitas? *(S. Prosp. l. 2. de vit. act. c. 16.)*

O Deus cordis mei, Rex meus, et Deus meus, beati qui habitant in domo tua! Melior est dies una in atriis tuis, super millia. Vae miseris, qui elongant se a te! an non peribunt? Ego vero periculum hoc evadendi cupidus, venio ad te, liberator meus, et refugium meum; hic securius habitabo; hic requies mea multa nimis. Convolent alii ad mundanas conversationes; ego autem coram te,

quoad vixero, assiduus, et laetus assistam, teque solum toto vitae meae curriculo jugiter quaeram. Ecquid mihi est in coelo, et a te, Jesu mi dulcissime, quid volui super terram? Unus ergo sit dolor meus mundum diligere, et a te separari, o centrum animae meae; a te, inquam, quem ex toto corde meo diligo. Fac quaeso, Domine, ut mihi mundus crucifixus sit, et ego mundo. Quis mihi det, ut te ardentius diligam, o Deus charitas! o totus amabilis! Ex corde tuo in cor meum perennis amor erumpat; tu siquidem venisti ignem mittere in terram; et quid vis, nisi ut accendatur? O ignis, qui semper ardes, et nunquam extingueris, accende cor meum. O amor! da, ut anima mea tui amoris igne liquefiat. O Jesu, amor mi dulcissime, pone me ut signaculum super cor tuum ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est, ut mors dilectio. Diligo te, o dilecte mi, ex toto corde meo, ex tota anima mea, et ex totis viribus meis; diligo te, o fortitudo mea, o Jesu, quia es totus amabilis, et quia prior dilexisti me. Moriatur cor meum, si non vivat amore tui.

CAPUT XXVI.

De superbia, et ambitione fugienda

—

Initium omnis peccati est superbia. *(Eccl. 10. 15.)*

Superbia est amor propriae excellentiae. *(S. Aug. de Gen. ad lit. l. 11. et de ver. innoc. c. 102.)*

Delictum maximum est delictum superbiae. *(Id. sup. V. Ps. emundabor a delicto maximo.)*

Maximum est delictum superbiae quod est primum recedentibus a Deo. *(Idem.)*

Redemptor noster ad filium reguli ire noluit, ad servum centurionis ire paratus fuit. Increpata est superbia nostra, quae, si ad servum venire deberemus, responderet dicens, non eas. *(S. Gr. P. hom. 28. in Evang.)*

In alto sedens non alta sapias, per omnia sentiens humiliter, humilibusque consentiens, non ambules in magnis, nec in mirabilibus super te. Hoc ergo sentias in teipso quod in Christo Jesu, ut sicut exinanivit se formam servi accipiens, sic eorum, qui tibi subjecti sunt, servum te reputes, humilem, et abjectum: non sit tibi dedecori humili-

tas, quae decuit Filium Dei. Frequenti, quaeso, scrutinio dispice, et attende, qualis ex dono Dei sis, et qualis sis ex teipso, et redde, quae tua sunt, tibi, et quae Dei, Deo. *(Petr. Bles. de Inst. Episc. c. 3.)*

Sunt qui honores virtutes reputant, suisque meritis adscribunt gradum eminentiae, quem in ira Dei fortassis adepti sunt. Honoris assumptio multis tentatio facta est, et subversionis occasio. Igitur sic praesis, ut prosis: vae his, qui praesident hominibus, nisi praesideat iis Deus. *(Idem.)*

Nullus magno, et Deo, et Sacrificio, et Pontifice dignus est, nisi prius semetipsum viventem hostiam, et sanctam exhibuerit. *(S. Gr. Nazian. o. 1.)*

Nullo alio vitio tam praecipitem diabolus Clericum pertrahit, ac perducit ad mortem, quam cum eum, neglectis Superiorum consiliis, suo judicio persuaserit, definitionique confidere. *(Quid Auct.)*

Clerici inviti, ac dissentientes, actu tamen jussa Praesidum exequuntur, inter vilissima mancipia sunt numerandi, ac voluntate solumodo obedientes, repugnante ratione uno tantum pede in Ecclesia versantur *(Idem.)*

Si Clericus jussa Praesulis moleste coeperit sustinere, si eum dijudicare, si murmurare in corde, etiamsi exterius impleat quod iubetur, non est haec virtus humilitatis, et patientiae, sed velamentum superbiae, et malitiae. *(Idem)*

Sacerdotem hoc sentire oportet quod et in Christo Jesu, ut se per humilitatem exinaniat, abneget semetipsum, et crucifixionem Domini repraesentans, stigmata ejus portet in corpore suo, et in ara cordis seipsum Domino crucifigat. *(Idem.)*

Sacerdotis animum honoris illius desiderio undique vacare oportet. *(S. Jo. Chrys. l. 3. de Sacerd.)*

Exitialis morbus Episcopatum appetere. *(S. Isid. Pelus. l. 3. ep. 216. Palladio Diacono)*

Ergo Episcopatus opus mirifice laudo; divinum est enim, ipsius autem amorem minime laudo, periculosus enim est. Ne probatissimos quidem viros hunc amorem in animo alere, verum pro viribus expellere oportet. *(Idem.)*

Ad majora aspirare, et praestantiora quaerere, quam a Deo datum, tributumque sit, poenam, ac perniciem affert. *(S. Ciril. Alexan. lib. 13. de Sacerd.)*

Qui vacat, haec incaute non expetat, Pastoralis curae pondera, et qui incaute expetiit, adeptum se esse pertimescat. *(S. Gr. P. in Prol. Past.)*

Qui Episcopatum desiderat bonum opus desiderat, inquit Apostolus: verum aut appetit aliquis circumstantias, et tunc nescit quod appetat, aut appetit ipsum opus, et hoc est superbiae *(Quid. Auct.)*

Si quis Sacerdotii dignitatem usurpare sit ausus judicium sine misericordia consciscit, *(S. Ephr. de Sacerd.)*

Si aliquis pro se rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipsa praesumptione redditur indignus. *(S. Th. 22. q. 100. a. 5.)*

Qui rogat pro se jam judicatus est, nec interest per se, an per alium quis roget. *(S. Bern. ep. ad Henr. sen. c. 7.)*

Profecto indignus est Sacerdotio nisi fuerit ordinatus invitus. *(Cap. de Epis. et Cler.)*

Usurpati ausus Sacerdotii sacrificium in sacrilegium, et vitam convertit in mortem. *(Petr. Bles. ep. 116.)*

Non volentes neque currentes assumito, sed cunctantes, sed renuentes; etiam coge illos, et compelle intrare. *(S. Bern. l. 4. de Consid. c. 4.)*

Cum magno timore ad tantum gradum Sacerdotii ascendendum est. *(Pont. Rom. in Ordine Presb.)*

Reverendo vertici Christi manum impositurus Baptista contremuit: Princeps Apostolorum miraculosa piscium captione perterritus, Recede, inquit, a me, Domine, quia homo peccator sum: seque introitu Christi Centurio putabat indignum. Qua igitur fiducia meritorum, qua mentis audacia contrectare praesumam vitam animarum, pretium mundi, Angelorum panem? Ubi quanto dignior, et eminentior est hujus ministerii gradus, tanto gravius imminet ex ipsius dignitate discrimen. *(Petr. Bles. ep. 139.)*

Episcopatum ipsum nec postulavit, nec voluit, nec, ut caeteri, quos arrogantiae, et superbiae suae tumor inflat, invasit; sed quietus, et modestus, et quales esse consueverunt, qui ad hunc locum divinitus eliguntur, et pro pudore virginalis conscientiae suae, et pro humilitate ingenitae sibi, et custoditae verecundiae; non, ut quidam, vim fecit, ut Episcopus fieret, sed ipse vim passus est, ut Episcopatum coactus exciperet. *(S. Cypr. ep. 52. ad Ant. de Cornelio loquens.)*

Ab eo ipso die, quo tute mihi Episcopatus suspicionem injecisti, factum est identidem, ut corpus hoc ab anima propemodum dissolveretur; tam ingens pavor, tam ingens moestitia animum meum occupavit. *(S. Jo. Chrys. l. 6. de Sacerd.)*

Querebatur Nepotianus se ferre non posse, et juvenilem aetatem incongruam Sacerdotio causabatur. Sed quanto magis repugnabat, tanto magis in se studia omnium concitabat, et merebatur negando, quod esse nolebat, eoque dignior erat, quo se clamabat indignum. *(S. Hier. ep. 3. ad Heliod. de morte Nepotiani)*

Usque adeo timebam Episcopatum, ut, quoniam coeperat esse jam alicujus momenti inter Dei servos fama mea, in quo loco sciebam non esse Episcopatum, non illo accederem. Cavebam hoc, et agebam, quantum poteram, ut in loco humili salvarer, ne in alto periclitarer. *(S. Aug. serm. 49.)*

Repentina vi multitudinis Presbyteratu initiatus sum: fateor invitus, quia ab aeditui nomine et officio optavi sacram incipere servitutem. *(S. Paulinus ep. ad Sever.)*

Domino placuit in vase fictili ponere thesaurum sanctum, qui me vocavit per gratiam suam suscitans de terra inopem, et de stercore erigens pauperem, ut collocarer cum principibus populi sui; in cujus domo domesticus fieri, et benedicere Dominum de fontibus Israel, cum pro meritorum meorum conscientia recusarem, vel potius non auderem recipere, ego vermis et non homo, vi subita invitus, quod fateor, adstrictus, et multitudine strangulante compulsus, quamvis cuperem calicem ipsum a me transire, tamen necesse habui dicere Domino: Verum non mea voluntas sed tua fiat. *(Idem ep. ad Amandum 4.)*

Virtutibus pollens coactus ad regimen veniat, virtutibus vacuus nec coactus accedat. *(S. Gr. P. in Past. c. 9.)*

Qui adhuc desideriis terrenis adstringitur, caveat ne districti iram judicis gravius accendens, dum loco delectatur gloriae, fiat subditis auctor ruinae. *(Idem.)*

Legimus quod Gofridus Peronensis Claraevallis Prior electus in Episcopum Fornacensem electioni nullatenus acquievit; qui postea defunctus, et apparens cuidam fratri inquirenti, qualiter ei esset, respondit: Revelavit mihi Trinitas sancta quod, si suscepissem Episcopatum fuissem de numero reproborum. *(Petr. Bles. ep. 102.)*

Legimus quod cum B. Ammonius ad regimen populi traheretur invitus, aurem sinistram ferro sibi radicitus secuit, dicens; Lex divina neminem praecisa aure permittit fieri Sacerdotem. *(Idem.)*

Paulus Eremita, Antonius, Apollonius, Mutius, Hilarion, Paphonitius, et uterque Macarius, et Arsenius, B.

etiam Benedictus nunquam gradum Sacerdotii attigerunt. *(Idem.)*

Fugiendi honores sunt in hoc saeculo, quoniam periculis pleni, et sollicitudinibus referti. Fugit Dominus, cum illum Regem vellent Judaei constituere: fugerunt Sancti, cum regiminis praeeminentia offerebatur illis. [*S. Laurent. Justin. de compunct. et perfect. Christ.*)

Si altiorem quam meliorem esse delectat, non praemium, sed praecipitium expectamus. (*S. Bern. ep. I. ad Ardut.*)

O ambitio ambitiosorum crux, quomodo omnes torques! [*Idem.*]

Ambitio subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hipocrysis, livoris parens, vitiorum origo, criminum fames, virtutum aerugo, tinea sanctitatis, excaecatrix cordium. (*Idem.*)

Saepe quos vitia nulla delectant, facit ambitio criminosos. (*S. Ambr. in Luc. 4. c. 4.*)

Vae iis, qui reprehensibiliter vivunt, et locum irreprehensibiliter vivendi, adhuc reprehensibilius concupiscunt. (*S. Petr. Dam. l. 2. ep. 1.*)

O quam praesumptuosa temeritas! Ille praeponitur ovili divino, qui nescit adhuc dominari spiritui suo. [*S. Nic. P. ep. 2.*)

Unde tantus praelationis ardor? Unde ambitionis impudentia tanta! Unde vesania tanta praesumptionis humanae? Vae ministris infidelibus, qui nec dum reconciliati reconciliationis alienae negotia quasi homines, qui justitiam fecerint, apprehendunt. (*S. Bern. de Convers. ad Cleric. c. 19.*)

Ignorat momentaneus Sacerdos humilitatem, et mansuetudinem rusticorum. Nescit seipsum contemnere; non jejunavit, non flevit; non mores suos saepe reprehendit, et assidua meditatione correxit; non substantiam pauperibus erogavit. Nec dum discipuli, jam magistri sunt. (*S. Hier. ep. ad Ocean.*)

Ecclesiasticos gradus propensius, quam regna coelorum ambientes, et tyrannico ritu acceptos defendentes, nec tamen legitimis moribus illustrantes. *(Gyldas. Sapiens. t. 5. Biblioth. SS. PP.)*

Cum primos gradus meruerint, non ideo quiescunt: magis ac magis dilatantur in plura; laboriosis itineribus, et sumptuosis familiaritatibus romanum frequentant palatium, quaestuosas sibi comparant amicitias. *(S. Bern. ep. 42.)*

Mens praeesse volentium, plerumque sibi ficta bonorum operum promissione blanditur. (*S. Gr. P. in Past. l. 1. c. 9.*)

Quid est quod post tam gravem lapsum isti tantopere celsitudinem Ecclesiastici Ordinis ambiunt? Quid de iis opinandum est? Quid credendum? nisi quod Deus illos in reprobum sensum tradidit, unde amissis oculis interioribus, nec considerare praevalent, quam gravia sint mala, quae perpetrarunt, neque quam deterius adhuc sit, quod contra voluntatem Dei Sacerdotium habere concupiscunt. Et hoc ex divinae justitiae consueto more procedit, ut qui se hac perditissima sorde commaculant tenebras coecitatis incurrant. (*S. Petr. Dam.*)

Magnus pudor est Sanctuarium ambire tanquam non virtutis exemplum, sed victus parandi occasionem, et subsidium Ordinem Sacerdotalem existimas. (*S. Gr. Nazian. or. 1.*)

Omne sublime videant oculi tui: festina multiplicare praebendas, inde ad Archidiaconatum evola, demum aspira ad Episcopatum, en ibi quidem requiem habiturus, quoniam non sic itur ad astra. Quo progrederis miser? (*S. Bern. decl. supr. ecce nos.*)

Eo ipso quo caeteris praelati sumus, ad agenda quaelibet majorem licentiam habemus: susceptae benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis argumentum. (*S. Gr. P. hom. 17. in Luc. 10.*)

Nemo debet ad hoc fieri Clericus, ut serviat voluptati, studeat curiositati, inhiet ambitioni. (*S. Ecel. in admon. ad pr. tons.*)

Honorificabitis autem non cultu vestium, non equorum fastu, non amplis aedificiis, sed ornatis moribus. (*S. Bern. de vit. et mor. Cler. c. 42.*)

Sane non honor, aut quaestus debuit esse Ordinis occasio, sed charitas Christi, et animae salus. [*Petr. Bles.*)

Non est dignus Sacerdotio, qui præesse dilexerit, non prodesse. [*S. Aug. de Civit. Dei. l. 10. c. 19.*]

Honoris assumptio multis tentatio facta est, et subversionis occasio. (*Petr. Bles. de inst. Episc.*)

Adde quod multorum dominatio est eorum damnatio; quot enim paupertas ad Coelum promovet, tot cum dignitatibus suis infernus absorbet. [*Idem.*]

Si tentatio est cujuscumque hominis vita super terram, quantis putatis periculis patet vita Pontificis, cui omnium

necesse est ferre tentationes. (*S. Bern. ep. 40. ad Henr. Senon. Archiep.*)

Pestilens, et lethale est appetentiae istius virus. [*S. Jo. Chr. l. 3. de Sacerd.*)

Hoc ego desiderium, scilicet Episcopatus, sic toto studio ab animo abjiciendum esse sentio, ut ne animum quidem ipsum prorsus permittas ab illo occupari. (*Idem. c. 11.*)

Quid refert, si non das pecuniam ad obtinendam dignitatem Ecclesiasticam, sed pecuniae loco aduleris, subornas, multaque machinaris? His dicetur: Ambitio tua sit tecum in perditionem, quoniam putasti ambitu humano parari domum Dei. [*Idem.*]

Magna me tenet admiratio eorum, qui hujusmodi onera appetunt. Infelicissime hominum atque miserrime, non aspicis, cujus rei desiderio teneris? (*Idem. hom. 1. in ep. ad Tit.*]

Ego Episcopatus opus mirifice laudo; divinum enim est: ipsius autem amorem minime laudo; periculosus enim est. Non dico, bene facit; neque enim ne probatissimos quidem viros hunc amorem in animo alere, verum pro viribus expellere oportet. (*S. Isid. Pelus. l. 3. ep. 216. Palladio Diacono.*)

Dum improbe, ad inanem gloriam, locum festinat utilitatis arripere, eo ipso magis, honorem quaesivit, indignus est. (*S. Greg. P. l. 7. ep. 111. Syagrio Etherio*)

Sicut is, qui invitatus renuit, sacris est altaribus admovendus; sic, qui ultro ambit, vel importune se ingerit, est procul dubio repellendus. (*Idem.*)

Tinea cordium, animarum subversio, cupiditas dignitatum. Unde obrepsit haec pestis? Unde invaluit haec execranda praesumptio, ut indigni dignitates ambiant; et quanto minus meruerunt ascendere ad honores, tanto importunius honoribus se importent. [*Petr. Bles. ep. 23. ad Octavianum Cardin.*)

Certe qui præesse aliis volunt, cor eorum vanum est, dum a virtute vacui spiritu elationis, et vento gloriae volatilis intumescunt. [*Idem. ep. 102. ad Rading. Abbat.*)

Quamobrem quicumque honoribus ac dignitatibus sublimari concupiscit, quod tantummodo Deo congruit, spiritualis censendus est fur. (*S. Laur. Justin. de regim. Praelat. c. 16.*)

Falluntur utique, qui hoc scilicet regimen animarum concupiscunt aut sui elata opinione, vel vana honoris am-

bitione, seu immoderata divitiarum cupiditate. Rejiciendi sunt tales, et tanquam indigni spernendi, quia caeci, fures, et praedones sunt. (*Idem.*]

O desideria nociva! o hebetudo, et duritia cordis eorum! Volunt omnibus esse majores, nemine minores, omnibus præesse, nulli subesse: omnibus imperare, nemini ministrare. Quae sua sunt quaerunt, non quae Jesu Christi. O quanta insipientia, concupiscere gloriam, quae tam cito transit! (*Quid. Auct.*]

O perversitas! o abusio filiorum Adam! quia, cum ascendere difficillimum sit, descendere autem facillimum, ipsi et leviter ascendunt, et difficilius descendunt, parati ad honores, et celsitudines graduum Ecclesiasticorum ipsis etiam angelicis humeris formidandos. (*S. Bern. l. 2. de consid. c. 6.*)

—

Domine Jesu, averte oculos meos ne videant vanitatem; da mihi Spiritum tuum, et discam a te esse humilis corde. Minister tuus sum; sentiam ergo in me quod et in te, o Magister bone! Noverim te, noverim me, ut exaltem te, et humiliem me; ut oderim me, et amem te; ut persequar me, et sequar te, et nihil cogitem nisi te; ut mortificem me, et vivam in te, ac in aeternum potiar te.

CAPUT XXVII.

De spectaculis, choreis, ludis, et conviviis vitandis.

—

Fugite spectacula, fugite choreas turpissimas diabuli, ne vos vincula teneant maligni. (*S. Aug. l. 2. de symbolo ad Cathecum c. 2.*]

Vanitas theatrum est. (*S. Ambr. de fuga saeculi c. 1.*]

Theatrum communis luxuriae schola, publicum incontinentiae gymnasium: omnis impudicitiae orchestra: babilonica fornax: ridicula, ac perniciosa voluptas: diabolica officina. (*S. Jo. Chr. hom. 56. ad pop. Antioch.*)

Perniciosa voluptas; misera infelicitas; miserabilis insania. (*S. Aug. l. 3. Confess. c. 2.*)

Theatrum proprie sacrarium Veneris est: arx omnium turpitudinum: Veneris, et Liberi quoque domus est; et plane

in artibus scenicis Liberi, et Veneris patrocinium: amphitheatrum omnium daemonum templum est; tot illic immundi spiritus consident, quot homines capit. (*Tertull. de spectac. n. 10.*)

Vanitatis, et levitatis monstra; inventa daemoniorum sunt, non Dei; pudoris publici lupanarium, obscoenitatis magisterium; amovendus est animus ab illis. (*S. Cypr. de spectac.*)

Quidquid immunditiarum est, hoc exercetur in theatris: alibi est impudicitia, alibi lascivia, alibi intemperantia, alibi insania, ubique daemon, immo per singulas ludicrorum loca universae daemonum monstra. [*Salvian. de gubern. l. 6.*]

Felix, qui non abiit in concilium impiorum, ... contrario infelix qui abierit. Omne spectaculum concilium vocat impiorum. Spectaculorum abstinentia praescripta est, cum concupiscentiae saeculi damnantur. Nam sicut pecuniae, vel dignitatis, vel gulae, vel libidinis, vel gloriae; ita et voluptatis concupiscentia est; species autem voluptatis etiam spectacula. Fugienda sunt ista Christianis fidelibus tam varia, tam perniciosa, tam sacrilega spectacula. Haec etsi non haberent, habent in se et maximam et parum congruentem fidelibus vanitatem. [*Tertull. de spectac. n. 3.*]

Unusquisque vestrum, qui jam pie vivit, contemnit saecularia, et non vult ire ad spectacula. [*S. Aug. tract. 4. in ep. Joa. 1.*)

Absit, ut dicamus vobis; si spectaculis volueritis oblectare animos vestros, ite; quid mali est? ... non ista verba Dei, non verba Christi. *(Idem de Pastor. c. 3.)*

Non licet Sacerdotibus, et Clericis aliqua spectacula in nuptiis vel conviviis spectare; sed oportet, antequam ingrediantur ipsa spectacula, surgere, et redire inde. [*Martin. Papa secund. Ivonem.*)

Monomachias spectare nobis interdictum est, nec caetera spectacula spectare audemus; ne oculi nostri inquinentur, et aures nostrae hauriant profana, quae ibi decantantur carmina. (*Theophil. Antioch. l. 3. ad Autolycum.*)

Nec majestati divinae nec evangelicae disciplinae congruit, ut pudor, et honor Ecclesiae tam turpi, et infami contagione foedetur. (*S. Cypr. l. 1. ep. 10.*)

Nihil obscaenius illo oculo, nihilque lascivius, qui spe-

ctare talia patienter potest, ne dicam, libenter. (*S. Jo. Chr. hom. 6. in Matth.*]

Alia crimina singulas sibi ferme in nobis vindicant portiones, ut cogitationes sordidae animum, ut impudici aspectus oculos, ut auditus improbi aures; ita ut, cum ex his unum aliquod erraverit, reliqua possint carere peccatis; in theatris vero nihil horum reatu vacat, quia et concupiscentiis animus, et auditu aures, et aspectu oculi polluuntur. (*Salvian. de gubern. Dei l. 6.*)

Qui forte ad spectaculum puri venerant, de theatro adulteri revertuntur. [*Idem.*]

Diabolus etiam in artem ludos digessit, ut per haec ad se traheret milites Christi, virtutisque eorum nervos faceret molliores. (*S. Jo. Chrys. hom. 6. in Matth.*)

Morum quanta labes, quae probrorum fomenta quae alimenta vitiorum, histrionicis gestibus inquinari. (*S. Cypr. ep. 1. ad Donatum.*]

Theatrum ex ovibus lupos facit. (*Idem. hom. 56. ad pop. Antioch.*)

Alia mala omnia agentes polluunt, non videntes vel audientes; siquidem, etsi blasphemum quempiam audias, sacrilegio non pollueris, quia mente dissentis . . . solae spectaculorum impuritates sunt, quae unum admodum faciunt, et agentium, et aspicientium crimen, quia digni sunt morte, non solum qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus. Sicut in his est pastus diaboli, ita offensio Dei. (*Salvian. de gubernat. Dei l. 6.*]

In spectaculis voluptas non est, sed mors. (*Idem.*)

Quae est in Baptismo salutari Christianorum secunda confessio? quae scilicet? nisi ut renuntiare se diabolo ac pompis ejus, atque spectaculis, et operibus protestentur. Ergo spectacula, et pompae etiam juxta nostram professionem opera sunt diaboli. (*Salvian. de gubern. Dei l. 6.*)

Quomodo, o Christiane, spectacula post Baptismum sequeris, quae opus esse diaboli confiteris: renuntiasti semel diabolo, et spectaculis ejus; ac per hoc necesse est ut prudens, et sciens, dum ad spectacula remeas, ad diabolum te redire cognoscas. In spectaculis quaedam apostasia fidei est, et a Symbolis ipsius, et coelestibus Sacramentis lethalis praevaricatio. (*Idem.*)

Clerici ab omnibus oculorum, atque aurium illecebris se abstineant. *(Conc. Labil. sub Carol. Magn.)*

A mimis spectandis abstineant. [*Conc. Bitur. tit. 25. a. 1584.*]

Non oportet Ministros Altaris, vel quoslibet Clericos spectaculis aliquibus, quae in nuptiis, aut scenis exhibentur interesse. (*Conc. Laodic. a. 372. c. 54. de Consecr. Dist. 5. a. 37.*]

Clerici nunquam choreas vel quid aliud lubricum ex his, quae ab histrionibus exhibentur spectent. (*Conc. Burdig. 1583.*)

Prohibet omnino haec sancta Synodus universalis eos, qui dicuntur, mimos, et eorum spectacula; deinde venationum quoque spectationes, atque in scena saltationes fieri; si quis autem praesentem Canonem contempserit, et se alicui eorum, quae sunt vetita, dederit, si sit quidem Clericus, deponatur; si laicus, segregetur. (*Syn. Constantinop. in Trull. c. 51.*)

Placuit ut eas prorsus mundanas voluptates, quas saeculares viri exercere solent, in venationibus scilicet, vel in canticis saecularibus, aut in resoluta, et immoderata laetitia, in lyris, et tibiis, et his similibus lusibus, nullus sub Ecclesiastico Canone constitutus ob inanis laetitiae fluxum audeat ... praesumendo abuti. (*Conc. Forojuliens. can. 6. a. 791.*)

Sic cor vestrum corroborate, ut inania spectacula non appetat; a mundi ludis, atque ineptiis abhorreat. (*Conc. Mediol. IV. p. 3. tit. Monitiones.*)

Ad spectacula comoediarum, sive ad bancos circulatorum, et buffonum in plateis, qui aliis exemplum esse debent maturitatis, et prudentiae, accedere, et assistere Clericos non decet. (*Conc. Aquilejens. a. 1596. c. 11. de vita, et honest. Cleric.*)

Nec his coetibus admisceantur, ubi amatoria cantantur, et turpia, aut obscaeni motus corporum choreis, et saltationibus efferuntur; ne auditus aut obtutus sacris mysteriis deputati turpium spectaculorum, atque verborum contagione polluantur. (*Conc. Agath. c. 29. a. 506. dist. 34. c. Presbyteri.*)

Ab omnibus, quaecumque ad aurium, et ad oculorum pertinent illecebras, unde vigor animi emolliri posse credatur, quod de aliquibus generibus musicorum, aliisque nonnullis rebus sentiri potest, Dei Sacerdotes abstinere debent; quia per aurium, oculorumque illecebras vitiorum

turba ad animam ingredi solet. *(Conc. Turon. III. sub Carol. Magno c. 7. a. 813.)*

Clericus per plateas, et andronas, nisi certa, et maxima officii sui necessitate, non ambulet. *(Conc. Carthag. IV. Can. 47. a. 398.)*

Clericus, qui non pro emendo aliquid in nundinis vel in foro ambulat, ab officio suo degradetur. *(Idem. Can. 48. a. 399. dist. 91. c. Clericus quilibet.)*

Caveant Clerici ne per apothecas, et loca publica sedeant vel otio indulgentes, vel cum laicis inutilia, ac nociva colloquia peragentes, quia maximum omnibus intuentibus, et audientibus, ipsis etiam laicis sunt scandalum, nec non Clericalem dignitatem vilem reddunt. *(Quid. Auct.)*

Ut Episcopus ad forum, neque, ubi publice negotia judiciaria exercentur, non pergat suae causae suffragaturus, nisi forte ut aut parentibus oppressis succurrat, aut viduis, et orphanis tuitionem conferat, aut de verbo Dei judices admoneat; ut juxta Domini praeceptum justa judicent judicia. Hoc et de Abbatibus, et de Presbyteris, et Diaconibus, et maxime Monachis observandum est; si vero eorum, qui in Clero sunt, propria causa agenda est, cum licentia Episcopi et advocato pergat, et suae causae cum justitia suffragetur. *(Conc. Cabil. II. a. 813. Can. 11.)*

Non debet, qui animarum curam gerit, frequentare forum cum rusticis. *(S. Aug. serm. 36. ad Fr. in erem.)*

Quod in populo veniale in Sacerdotibus judicatur sacrilegium, ideo ut monemus periculum, ita Clericis districte choreas quacumque ex causa ducere, aut illis interesse prohibemus. *(Syn. Narbon. c. 61.)*

Clerici choreas privatas aut publicas non agent, nec spectabunt. *(S. Car. Bor. Syn. I. Med. p. 2. tit. 25.)*

Clerici non se admisceant choreis publicis, tripudiationibus, aut saltationibus, nec turpes, amatorias, aut lascivas depromant cantilenas, seu cantationibus faveant, aut adsint. *(Syn. Senon. c. 25.)*

Ne his coetibus Clerici misceantur ubi choreis, et saltationibus corpora offeruntur. *(Conc. Agat. c. 23.)*

Choreas, nec non profana omnia histrionum, aliaque hujusmodi spectacula scoenica, quae nonnisi voluptatem, otium, ac saeculi vanitatem fovent, ac sapiunt, prorsus effugiant. Quod si Sacerdotes, et Clerici in Sacris Ordinibus constituti in choreis tam publicis, quam privatis cum foeminis saltaverint, vel instrumenta ad saltandum pulsa-

verint, aut comoediae profanae auctores fiant, aut in baccanalibus larvati incedant, poenam suspensionis a divinis se incurrisse ipso facto sciant. *(Syn. Dioec. Port. et Centumcell.)*

A Chorearum spectatione Clerici abstineant; saltationem vero privatam, et publicam, quod est intemperantissimae temeritatis genus, nulla ratione committant, nisi gravioris correctionis virgam experiri affectent. *(Conc. Aquilejens. a. 1596. c. 11. de vit. et honest. Cleric.)*

Qui Pauli vult esse imitator, in terris non tripudiat, non laetatur, non deliciatur . . . nunquid choreis, nunquid cythararum lusu delectatus est Paulus? Nunquid diabolica cantica cecinit? Absit. *(S. Ephr. interrog. et respons. 2.)*

Desinite ab ethnica hac rabie, atque insania: Paulus ista non edocuit, neque mater nostra Ecclesia. Quicumque Sanctorum Apostolorum fieri cupitis discipuli, ab hac idololatria recedite. Nolite seduci, fratres; non enim sunt ista priorum, ac religiosorum hominum, non sunt ista discipulorum Christi, non sunt ista Christianorum, non sunt ista salvari cupientium. *(Idem.)*

Moves pedes, et insanus saltas, choreas ducis illicitas, cum genua ad Dei, et Domini nostri Jesu Christi cultum flectere oporteat. *(S. Basil. hom. 14. in ebriet. et Lux.)*

Clericalis Ordinis hominibus omne genus saltation s, et ludi, praesertim vero aleae, et talorum interdicimus. *(S. Car. Bor. Syn. 1. Med. p. 2. tit. 25.)*

Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus qui aleae indulget, vel desinat, vel deponatur. *(Can. Apost. 41.) (Conc. Quinisextum, seu Trullana Synodus)*

Subdiaconus, vel Lector, vel Cantor similia faciens, vel cesset, vel segregetur. *(Idem.)*

Turpis verbi vel facti joculatorem esse, vel jocum saecularem diligere, aleas amare, Ministris Altaris Domini omnino contradicimus. *(Conc. Mogunt. a. 813. c. 14.)*

A ludis, spectaculis, circulatorumque atque id genus vilium hominum praestigiis procul estote. *(Conc. Med. IV. tit. Monit.)*

Alearum, et taxillorum usus, quo tempus misera jucunditate teritur, Clericis omnibus inhibemus; multo vero gravius, si non modo legerint ipsi, sed aliis ludendi potestatem fecer nt parato loco, et domestico diverticulo. *(Conc. Aquilejens. a. 1596. c. 11. de vit. et honest. Cleric.)*

Episcoporum vero vigilantia, et prudentia, edictis, ac

poenis propositis, opportunum erit remedium adhibendum, ut pestis avertatur, qua miserorum facultates suavi morbo exhauriuntur, blasphemiae, et rerum dispersiones excitantur, cupiditatum intemperatiorum, et fraudum, et oblectamenta aluntur, denique ipsa Dei clementia assidue offenditur, qui tanto periculosior morbus est, quanto ardentius interdum animos Clericorum occupat, et ecclesiasticas opes pervadit. *(Idem.)*

Clerici nec participes erunt ludentibus, nec inspectores ludi. *(Dist. 35. c. Episcopus.)*

Clerici ad aleas, et taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint. *(Conc. Later. sub. Innoc. III. c. 15. de vita, et hon. Cler.)*

Ne Clerici publice ludant maxime cum laicis. *(Conc. Senon. a. 1528.)*

Non ludant pro lucro, vel pro vino. *(Conc. Lingon. a. 1404.)*

Nec pecunia intercedat in ludo, nec quicquam quod facile pecunia aestimatur. *(S. Car. Bor. Conc. Med. I. p. 2. de ludis.)*

A ludo alearum, aliisque, qui a sorte pendent, Clerici abstineant, neque ludentium fautores, speculatores, aut testes existant. *(Conc. Senon. sub. Cl. 7. c. 25.)*

Indignum est, ut manus, quae Sacramenta consumant, aleas tractent. *(S. Cypr. de Ale.)*

Recte ne, inquam, tuique erat officii vespere in scacchorum vanitate colludere, et manum Domini Corporis oblatricem, linguam inter Deum, et populum mediatricem sacrilegi ludibrii contaminatione foedari? *(S. Petr. Dam. op. 20. t. 3.)*

Quam inhonestum quam absurdum, quam denique foedum sit hoc in Sacerdote ludibrium? *(Idem.)*

Non dat Deus ludere, sed diabolus. Audi quid aliquando ludentes passi sunt; Sedit populus manducare, et bibere, et surrexerunt ludere. *(S. Jo. Chr. hom. 6. in Matth.)*

Diabolus est, qui etiam in artem jocos, ludosque digessit, ut per haec ad se traheret milites Christi, virtutisque eorum nervos faceret molliores. *(Idem.)*

Imminet nobis grande certamen adversus invisibiles virtutes, adversus spiritualia nequitiae. Quod si rideamus atque ludamus jugem desidiam confoventes, facillime ante pugnam quoque proprio torpore vincemur. *(Idem.)*

Non solum profusos, sed et omnes etiam jocos declinandos arbitror. *(S. Ambr. l. 1. de Offic. c. 23.)*

Abrenuntio alearum otio, et tabularum lusui, sicut etiam Sancti Apostoli hisce operam dantes atque vacantes excommunicatos esse ordinarunt in suis Canonibus, si laici fuerint; at, si Clerici, deponantur. *(S. Ephr. de abrenunt. in Bapt.)*

Vae iis, qui tempus poenitentiae perdunt in jocis, et in risibus; quaerent namque hoc ipsum poenitentiae tempus, quod perperam consumpserunt, et non invenient. *(Idem.)*

Vae alearum lusoribus; quandoquidem se a corpore, et sanguine Domini nostri Jesu Christi alienos reddunt, sicut Spiritus Sanctus admonuit Apostolos. *(Idem.)*

Meminisse debes non aliunde Clericalis Ordinis dignitatem fuisse gravius offensam quam nimia laicorum familiaritate, et frequentiori cum illis convivio, ludo, et spectaculo. *(Conc. Aquilej.)*

Melius est Sacerdotes ire ad domum luctus, quam ad domum convivii. *(Eccl. c. 7. v. 3.)*

Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt, quia vacantes potibus et dantes symbola consumentur. *(Prov 23. v.20.)*

Clerici choreas, spectacula, et convivia publica vitent, ne ob luxum, petulantiamque eorum nomen ecclesiasticum male audiat. *(Syn. IX. Magont. c. 74.)*

Convivia, et nimiam laicorum familiaritatem, multarum offensionum, et scandalorum originem debent Clerici in quocumque gradu constituti, declinare, ac fugere. Honestatem vero, quae inter Clericos tutius servatur amare. *(Conc. Aquilej. 1. de vit. et hones'. Cler.)*

Clerici otium fugiant, eosque pudeat commessationibus, jocisque indulgere, aut per fora, per apothecas, per publica hominum otiosorum domicilia vagari, ne saeculari conversatione, et quaesitis familiaritatibus occasionem offensionis, et contemptus populis praebeant. *(Syn. Port. ac Cent.)*

Convivia lautiora perenniter non interdicimus, dummodo tamen modestiam, et sobrietatem per omnia Clerici retineant. Nuptiales vero epulas in quibus perraro Ordinis Clericalis gravitatem, ac temperantiam servari palam est, omni cura evitare studeant. *(Idem.)*

Clericus inter epulas constans degradetur ab officio. *(Conc. Carth. IV. c. 61.)*

Caveat ne in nuptialibus, laicalibusve conviviis aut mensis canendo operam suam navet, ullo quidem vel amicitiae, familiaritatis, obsequii, alteriusve rei causa, cum praesertim Clericalem hominem inter epulas canere veteri Canone plane interdictum est. *(Conc. Med. IV. p. 3. tit. de vit. et honest. Cler.)*

Commessationes, compotationes, convivia publica laicaliave, tum maxime, in quibus mulieres intersunt, evitate. *(Idem. tit. Monitiones.)*

Lege Patrum cavetur, ut Clerici convivia inhonesta, et turpia fugiant, privata non tantum pudica, sed et sobria colant. *(Conc. Mogunt. a. 813. c. 10.)*

Clerici laicorum convivia non frequentent. *(Conc. Raven. III. an. 1314.)*

Omnis Sacerdos Clericusve publica convivia, et commessationes ejusmodi vitet, quibus saepe fit ut contemptui sit Ecclesiastici ministerii dignitas. *(Conc. Med. IV. p. 3. tit. 2. de vit. et hon. Cler.)*

Sunt comedentes populum Dei, ut cibum panis, quibus Deus venter est, qui ministerium deputant ad negotiationem, collationibus se plebis, et muneribus ditando; dum convivia sub obtentu Religionis sumptuosa sectantur, dum apothecas suas inutili religiosorum obsequio distendunt. *(S. Hil. in Ps. 52.)*

Oportet Sacerdotes consolatores esse in moeroribus, non convivas in prosperis. *(S. Isid. de Offic. Eccl. l. 2. c. 2.)*

Facile contemnitur Clericus, qui saepe vocatus ad prandium ire non recusat. Nunquam petentes, raro accipiamus rogati. *(S. Hier. ep. 2. de vit. Cler. ad Nep.)*

Convivia tibi vitanda sunt saecularium, et maxime eorum qui honoribus tument . . . consolatores potius nos in moeroribus suis, quam convivas in prosperis noverint. *(Idem.)*

Summe cavere debet Clericus, ne extra domum suam vel Episcopi prandere audeat, vel in eadem etiam audeat saecularibus praeparare. *(S. Aug. serm. 36. ad Fr. Erem.)*

Quam prudenter convenire Ecclesiasticis et maxime ministrorum officiis arbitror, declinare extraneorum convivia, vel ut ipsi hospitales sitis peregrinantibus, vel ut ea cautione nullus sit opprobrio locus; convivia quippe extraneorum occupationes habent; tum etiam epulandi produnt cupiditatem, subrepunt etiam fabulae frequenter de

saeculo, ac voluptatibus claudere aures non potes; prohibere, putatur superbiae. *(S. Ambr. l. 1. Offic. c. 20.)*

Multi capti sunt a fornicatione, et ignem voluptatis accenderunt, dum secuti sunt convivia. *(S. Jo. Chr. hom. in Psal. 140.)*

Sicut per abstinentiam omnes virtutes spirituales radicantur, atque aedificantur in anima; ita per suavitatem ciborum omnia vitia nutriuntur, et confortantur in corpore. *(S. Bern. serm. 14. de modo bene vivendi.)*

—

O Domine, pars haereditatis meae, portio mea in terra viventium; nunquid rursum saeculi vanitatibus aperientur oculi mei? Quid mihi cum terra, et coloribus hominum terrenorum? Quid mihi cum mundo, et decore mundanorum? Quid mihi cum venustate, et ornatu effoeminatorum? Unam petii a te, Domine Jesu, hanc requiram; ut modestiam tuam in corpore meo semper circumferam, quatenus vita tua manifestetur in carne mea mortali.

CAPUT XXVIII.

De crapula, tabernis, et ebrietatibus vitandis.

—

Propter crapulam multi obierunt. *(Eccl. 37. 33.)*

In multis escis infirmitas. *(Idem.)*

Vinum, et omne quod inebriare potest, non bibetis tu, et filii tui, quando intratis in tabernaculum testimonii, ne moriamini. *(Lev. 10. 9.)*

Vae qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperum, ut vino aestuetis; propterea dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo tormento. *(Is. 5. 11. 14.)*

Vinum, et ebrietas auferunt cor. *(Ose. 4. 11.)*

Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et superveniat in vos repentina dies illa: tanquam laqueus enim superveniet. *(Luc. 21. 33. 34.)*

Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. *(Ep. ad Eph. 5. 18.)*

Aperte pronunciavit Apostolus vinum in quo est luxuria,

ut ostenderet ex ebrietate veluti primogenitam filiam generari luxuriam. *(S. Cyril. Alex. l. 7. in Lev. c. 22.)*

Ebrietas malorum mater. *(S. Aug. serm. 8. ad Fratr.)*

Omnium vitiorum mater. *(Orig. hom. 7. in Levit.)*

Fomentum libidinis. *(S. Amb. de Elia, et jejun. l. 43.)*

Incentivum insaniae. *(Idem.)*

Morbus veniam non habens. *(S. Jo. Chr. hom. 1. ad Pop.)*

Ruina excusatione carens. *(Idem.)*

Parens litium. *(S. Bonav. de 6. alis Cherub.)*

Furoris mater: Daemon blandus: venenum dulce. *(Idem.)*

Perturbationem mentis gignit: furorem cordis: flammam libidinis. *(S. Isid. l. e summo bono. c. 43.)*

Ebrius mortuus animatus. *(S. Jo. Chr. hom. 1. ad Pop.)*

Daemon voluntarius. *(Idem.)*

Inferni puteus. *(S. Aug. ser. 231. de temp.)*

Ebriosi quasi paludes. Nascuntur ibi serpentes, sanguisugae, ranae, et diversa genera vermium, quae magis horrorem possunt generare, quam aliquid quod ad victum proficiat, exhibere. *(Idem.)*

Abundantia ciborum, sunt fomenta vitiorum. *(S. Isid. Hispal. de cont. mund.)*

Loth quem Sodoma non vicerat, vina vicerunt. *(S. Hier. ep. ad. Ocean.)*

Venter mero aestuans despumat in libidinem. *(Idem.)*

Nihil gula ignominiosus est. *(S. Jo. Chr. hom. 44.)*

Ut nubes solis radios obscurat, sic crassus vapor e cibis emergens, menti obscuritatem affert. *(S. Nil. de oct. vitios. affect.)*

Ciborum non solum superfluus appetitus calcandus, sed etiam ipsi naturae necessarius, tanquam castitati contrarius, non sine cordis anxietate sumendus est. *(Cassian. l. 5. Instit. c. 14.)*

Sive manducatis, sive bibitis, omnia in gloriam Dei facite. Ille ad gloriam Dei manducat, qui Dei beneficiorum memor, non tanquam securus omnino manducat, sed ut qui inspectorem habet Deum. *(S. Basil. reg. brev. 196.)*

Hoc me docuisti, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam. *(S. Aug. l. 10. Confes. c. 31.)*

Quod si absque vino ardeo adolescentia, et inflammor calore sanguinis, et succulento, validoque sum corpore, libenter carebo poculo, in quo suspicio veneni est. *(S. Hier. ep. 2. ad. Nepotian.)*

Nullum secretum ubi regnat ebrietas. *(Quid. Auct.)*

Ubi turpia verba, et saturitas, ibi daemones choreas agunt. *(S. Jo. Chr. hom. 17. ad Pop.)*

Ubicumque saturitas atque ebrietas fuerint, ibi libido dominatur. *(S. Hier. in Epist. ad Tit. c. 1.)*

Nunquam ego ebrium castum putabo. *(Idem.)*

Sicuti enim non est adeo forte castrum quod non possit expugnari, si possint ei victualia subtrahi, sic non est adeo caro rebellis spiritui, quin subtrahendo cibaria non valeat a spiritu subjugari. *(S. Bonav. Dict. sal. c. 6.)*

Cum anima ab esu, et potu nimis fuerit liberata, tunc se melius recognoscit; sicuti enim in speculo sordido, non se talem homo aspicit, qualis est, ita et si esca, et crapula fuerit gravatus alterum se sentit quam est: tunc excitatur libido, accenditur ira, inflammatur superbia. Quod si temperatum fuerit corpus, interposito jejunio cognitione sui recepta anima, intelligit qua devotione obsequi debeat Redemptori. *(S. Aug. t. 4. in quaest. de utr. test.)*

Vinolentia scurrarum est, et commessatorum: venterque mero aestuans cito despumat in libidinem. In vino luxuria, in luxuria voluptas, in voluptate impudicitia est. Qui luxuriatur, vivens mortuus est: Ergo qui inebriatur, et mortuus, et sepultus est. *(S. Hier. ep. ad Ocean. 83. apud Conc. Aquisgran. c. 11.)*

Ebrietas in alio crimen est, in Sacerdote sacrilegium, quia alter animam suam necat; vino Sacerdos Spiritum sanctitatis extinguit. *(S. Petr. Chr. ser. 26. de fidel. dispen.)*

Vinolentos Sacerdotes, et Apostolus damnat, et vetus lex prohibet. Qui altari deserviunt, vinum, et siceram non bibant. *(S. Hier ep. 2. ad Nepotian.)*

Oportet Episcopum irreprehensibilem esse . . . non vinolentum. Non sit vinolentus Sacerdos; sed sic bibat, ut ignoretur an biberit. *(S. Anselm.)*

Non licet Clerico de domo in domum transire, et prandium vel coenam ordinare. *(S. Aug. ser. ad Presb. suos.)*

Summe cavere debet Clericus, ne extra domum suam, vel Episcopi prandere audeat. *(Idem.)*

Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui ebrietatibus indulget, vel desinat, vel deponatur. *(Canon. Apost. 41.)*

Ebriosus Sacerdos nullo Ecclesiastico munere fungetur. *(Cap. a Crap.)*

Si quis Clericus in caupona cibum capere deprehensus fuerit a communione excludatur, excepto tamen, qui in i-

tinere in commune diverterit hospitium. *(Can. XIII. Apostol.)*

A crapula, et ebrietate omnes Clerici diligenter abstineant; unde vinum sibi temperent, et se vino; ne ad bibendum quisquam incitetur, cum ebrietas et mentis inducat exilium, et libidinis provocet incentivum. *(Lib. 3. Deo c. a. crap. 14. hoc tit.)*

Clerici edendi, et bibendi causa tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi. *(Cap. Non. oportet. c. Nulli Clerici et c.)*

Neque pedem Clerici inferant in tabernas, et cauponas, nisi forte necessitatis causa in itinere constituti. *(Tent. in c. Non oportet.)*

Ante omnia a Clericis vitetur ebrietas. *(Conc. Agath. c. 41. a. 506.)*

Ebrietas dedecus est cuique Christiano, quanto magis Sacerdotibus? *(Conc. Aquisgr. sub. Greg. IV. a. 836. p. 1. c. 6.)*

Veteris legis ministris ne vino et sicera uterentur, cautum erat: utsciamus inde quam alienos esse oporteat novae legis Sacerdotes ab ebrietate. *(Convent. Melodun. a 1579.*

Sumptuosis dapibus gravidus, non potest in suis abstinentiam laudare, quam calcat *(Conc, Aquisg. a 816. c. 28)*

Clericum quem ebrium fuisse constiterit, aut triginta dierum spatio a communione statuimus submovendum, aut corporali subdendum supplicio. *(Conc. Agath. c. 41. a. 506.*

Sic oportet bibere ut quasi non bibisse videatur. *(Conc. Aquisgran. a. 836. c. 6.)*

Siquis Clericus in caupona comedens deprehensus fuerit, segregetur, praeterquam si in publico diversorio in via propter necessitatem diverterit. *(Can. Apost. 53.)*

Tabernas, nisi peregre profecti non intrent. *(Conc. Remens. a. 1583. Tit. de Cleric.)*

Nec ad bibendum quisquam incitetur, cum ebrietas et mentis inducat exilium, et libidinis provocet incentivum. *(Conc. Later IV. sub. Innoc. III. c. 15.)*

Unde illum abusum decernimus penitus abolendum, quo in quibusdam partibus ad potus aequales suo modo se obligant potatores, ille judicio talium plures inebriat, et calices foecundiores exhaurit. Siquis autem super his se culpabilem exhibuerit, nisi a Superiore commonitus satisfecerit, a beneficio vel Officio suspendatur. *(Idem.)*

Ad aequales haustus, nec seipsos, nec alios astringant, vel provocent. *(Conc. Remens. a. 1583. Tit. de Cleri.)*
Alienos esse oportet a potationibus quas vocat vulgus aequales. *(Conv. Melodun. a 1579.)*
Vinum sibi temperent, et se vino. *(Conc. Later. IV. sub Innoc. III. c. 15.)*
Ebrietas ministerium Sacerdotum vilescere facit. *(Conc. Aquisgr. sub. Greg. IV. a. 836. p. 1. c. 6.)*
Omnium enim vitiorum fomes, ac nutrix. *(Conc. Agath. c. 41. a. 506.)*
Libidinis parens. *(Conc. Remens. a. 1583, Tit. de Clerics in genere.)*
Magnum malum ebrietatis', unde omnía vitia pullulant, modis omnibus praecipimus cavere: et qui hoc vitare noluerit, excommunicandum esse decernimus, usque ad emendationem congruam. *(Conc. Moguntin. a. 813. c. 46.)*

—

O Domine! claude sensualitatis meae ostia: verte mihi in amaritudinem omnem delectationem carnalem, a sancto servitio tuo me abstrahentem. Libera me a concupiscentiis illecebrosis, quae militant adversus spiritum: animo infrunito ne tradas me. Scio enim me non posse duo gaudia habere; delectari in hoc saeculo, et postea regnare tecum in coelo. Mihi sane melius est in terris abstinere, quinimo et paululum esurire, deindeque in aeternum de te satiari, quam hic deliciis inebriari, et postea in fame, siti, et opprobrio lugere. Tu qui sitiens, felle, et aceto potatus es, aufer a me ventris concupiscentias: da ut tibi soli serviam, non ventri, aut voluptati; sim vero sobrius, ne unquam gravetur cor meum crapula, et ebrietate.

CAPUT XXIX.

De Avaritia.

—

Avaro nihil scelestius. *(Eccl. 10. 9.)*
Provide de omni plebe viros, timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui oderint avaritiam. *(Exod. 18. 21.)*
A minore usque ad majorem omnes avaritiae student,

et a Propheta usque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum. *(Jer. 6. 13.)*

Ipsi Pastores declinaverunt unusquisque ad avaritiam suam. *(Is. 56. 11.)*

Unus est, et secundum non habet, non filium, non fratrem, et tamen laborare non cessat; nec satiantur oculi ejus divitiis; nec recogitat dicens: Cur laboro et fraudo animam meam bonis? *(Eccl. 4. 8.)*

Quis est in vobis qui claudat ostia, et incendat altare meum gratuito? *(Malach. 1. 10.)*

Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris. *(Matth. 10.)*

Radix omnium malorum cupiditas. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia, et nociva, quae mergunt hominem in interitum, et perditionem. *(1. Tim. 6.)*

Idolorum servitus. *(Eph. 5. 5.)*

Grande malum. *(S. Ambr. serm. 59.)*

Omnis injustitiae fomes. *(S. Jo. Chr. hom. 25. in c. 11. Act. Apost.)*

Via quae ducit ad diabolum. *(S. Jo. Chr. hom. 41. in c. 22. Matth.)*

Passio omnium pessima. *(Idem. hom. 81. in c. 26. Matth.)*

Incurabilis morbus. *(Idem. hom. 64. in c. 11. Matth.)*

Radix, et mater omnium malorum. *(Idem. hom. 39. in c. 5. Joan.)*

Saevus hostis, crudelitatis dominus. *(S. Petr. Chr. serm. 29.)*

Ardentius humano fervet in pectore, quam caminus totus ignescit incendiis: et acrius homines dissolvit in terra, quam solvitur in calore flammarum. *(Idem.)*

Impietas numen omne divinum exterminans. *(S. Cyril. Alex. in c. Amos.)*

Simoniae genitrix. *(S. Aug. ser. 48. ad fratr. erem.)*

Materia cunctorum criminum. *(S. Isid. l. 2. off. c. 2.)*

Avarus crudelis est: communis omnium hominum hostis: ubique inutilis; nec ad imperandum ut praesit populo commodus. *(S. Jo. Chr. hom. 81. in Matth. c. 26.)*

Fortitudo pecuniam negligit, avaritiam fugit tanquam labem quandam quae virtutem effoeminet. Nihil enim tam contrarium fortitudini, quam lucro vinci. *(S. Ambr. l. 1. Offic. c. 39.)*

Receptaculum vitiorum; inextricabilis nequitiae fomes:

ne umbra quidem virtutis retinet. *(Cassian. l. 7. Instit. c. 6.)*

Evangeliorum irrisor, transgressorque voluntarius. *(Climac. grad. 16.)*

Avaritia, Ecclesiasticorum fermentum est, cujus admixtione tota massa corrumpitur. *(Petr. Bles. serm. 57. ad Sacerd.)*

Primum aliquid recipit Archidiaconus; et deinde Officialis aliquid; sed et Decanus, et caeteri causam sibi faciunt lucrativam, ut possimus dicere; quia residuum erucae comedit locusta, residuum locustae comedit bruchus, residuum bruchi comedit rubigo. *(Idem.)*

Ignominia Sacerdotis est propriis studere divitiis. *(S. Hier. ep. ad Nep.)*

Nonnulli Sacerdotes non coelestem panem, sed terrenum quaerunt, non spiritum sed lucrum *(S. Bonav.)*

Ad stipendia dumtaxat oculos habent. *(S. Isid. Pelus. l. 1. ep. 142.)*

Facultates Ecclesiae non ad incentiva libidinis *(S. Bern. ep. 2. ad. Fulc.)*

Bonorum ecclesiasticorum Clerici non veri domini, sed dispensatores. *(S. Th.)*

Qui altari servit de altari vivere debet, non quaerere aut habere delicias, sed vivere. Contenti sint alimenta corporis non irritamenta gulae accipere. *(S. Bern. in Dec.)*

Lex est praefixa ab Apostolis, et Apostolorum successoribus: Victum, et vestitum habentes, inquiunt, his contenti simus. Ubi forma haec? In libris cernimus eam, sed non in viris. Habes vero de justo, quia lex Dei est in corde ipsius, et non in codice. *(S. Bern. praef. vit. S. Malach.)*

Quem dabis mihi de numero Episcoporum, qui non plus invigilet subditorum evacuandis marsupiis, quam vitiis extirpandis? [*Idem. ser. ad. Cler. in Conc. Rom.*

Quis, obsecro, laicorum avidius Clericis quaerit temporalis, et ineptius utitur acquisitis? *(S. Bern. ser. ad Past. in Syn.)*

Mordent dentibus, et praedicant pacem: et siquis non dederit in ore ipsorum quippiam suscitant super eum praelium. *(Petr. Bles. ser. 57. ad Sacerd.)*

Mundi ergo lucrum quaeritur sub ejus honoris specie, quo mundi destrui lucra debuerant. *(S. Gr. P. in Past. p. 1. c. 8.)*

Ipsa Ecclesiasticae dignitatis officia in turpem quaestum,

et tenebrarum negotium transierunt, nec in his salus animarum, sed luxus quaeritur divitiarum: propter hoc tondentur, propter hoc frequentant Ecclesias, Missas celebrant, Psalmos decantant. *(S. Bern. ser. 6. in Ps. Qui habitat.)*

Pharao concessit terram Sacerdotibus suis, Dominus autem Sacerdotibus suis partem non concedit in terram, sed dicit: Ego sum pars vestra: hodie non tam Domini, sed Pharaonis Sacerdotes esse videantur. *(Orig. hom. 43. in Gen.)*

Judae Iscariotis imitatores sunt omnes avari, qui propter lucrum pecuniarum ejiciunt ab anima sua Salvatorem. *(Idem.)*

Clericus de altari vivat, et non ex Clericatu ditior fiat, non sibi de bonis Ecclesiae ampla palatia fabricet, nec in vanitate, et superfluitate dispergat. *(S. Bern. hom. sup. Ecce nos rel.)*

Qui gradus Ecclesiasticos, et ministeria Sanctuarii eo quaerit, aut tenet animo, eoque intuitu, ut hujus vitae habeat necessaria, perverso nimis ordine coelestibus terrena mercatur. *(Idem. ep. 14. ad Henr. Arch. c. 5.)*

De altari vivat Sacerdos, Pastor, Episcopus vivat; non luxurietur, non ditetur: non quaerant de altari irritamenta gulae, accipiant quibus tegantur, non quibus ornentur. *(Goffrid. sup. illud. Ecce nos rel.)*

Non satis est vere Clericus, quem non ditat titulus paupertatis. *(Phil. Ab. de Inst. Cler. 41.)*

Homo qui habuerit maculam non offerat panes Domino Deo suo, nec accedat ad ministerium ejus . . . si impetiginem habens in corpore. Impetiginem habet in corpore quisquis avaritia vastatur in mente, quae si in parvis non compescitur, nimirum sine mensura dilatatur. Impetigo quippe sine dolore corpus occupat, et absque occupati taedio excrescens, membrorum decorem foedat, quia et avaritia captivam animam, dum quasi delectat, exulcerat, dum adipiscenda quaeque cogitationi objicit . . . Sed decor membrorum perditur, quia aliarum quoque virtutum per hanc pulchritudo depravatur, et quasi totum corpus exasperat, quia per universa vitia animum supplantat; Paulo attestante qui ait: Radix omnium malorum est cupiditas. *(S. Gr. P. Past. p. 1. c. ult.)*

Manus Sacerdotum modo inunctae sunt pice cupiditatis

ad retinendum, quae deberent esse inunctae unctione charitatis ad largiendum. *(Ugo. Card. in Ps.)*

Domine Deus! Quanti hodie infelices ad Sacros Ordines accedunt, et divina mysteria accipiunt, non coelestem panem, sed terrenum quaerentes, non spiritum sed lucrum, non Dei honorem, sed suam ambitionem, non salutem animarum, sed quaestum pecuniarum, non Christo servire mundo corde, et corpore in sacris mysteriis, sed deliciari, ditari, superbire, et luxuriari de patrimonio Christi, et de elemosynis pauperum, ac Ecclesiasticas dignitates ambiendo multis litigiis, et simoniis potius rapiunt, quam assequuntur, non vocati a Deo, sed impulsi a diabolo tanquam Dathan, et Abiron. *(S. Bonav. in op. de praep. ad Miss. c. 8.)*

Quis ea intentione gradus Ecclesiasticos, et ministeria Sanctuarii quaerit, imo quaeritur, [quaeri nempe potius, quam quaerere ipse debuerat] ut sine curis saeculi in sanctimonia cordis, et corporis illuminandus accedat ad Dominum, et suam prius, ac proximorum operetur salutem orationis studio debito, et verbo praedicationis? Nam si eo quaerit, aut tenet animo, ut hic vitae habeat necessaria, perverso nimis ordine coelestibus terrena mercatur. Universos denique in Ordinibus Ecclesiasticis, caeterisque ad Sanctuarium pertinentibus honorem quaerentes proprium, aut divitias, seu corporis voluptatem, postremo quae sua sunt, non quae Jesu Christi, manifeste prorsus, et indubitanter non ea, quae Deus est, charitas, sed aliena a Deo, et omnium radix malorum cupiditas introducit. Quid istud temeritatis, imo quid insaniae est? Ubi timor Dei? Ubi mortis memoria? Ubi gehennae metus, terribilis expectatio judicii? *(S. Bern. de vit. et mor. Cler. c. 42.)*

Hodie in promotione quorumdam prima quaestio est, quae sit summa reddituum, non quae sit conversatio subjectorum. Verumtamen Deus non irridetur. Ad honorem vocavit te propter onera. *(Petr. Bles. ep. 15.)*

Timeant Clerici, timeant Ministri Ecclesiae, qui in terris Sanctorum quas possident, tam iniqua contenti, superflua quibus egeni sustentandi forent, impie, sacrilegeque sibi retineant, et in usus suae superbiae, atque luxuriae victum pauperum consumere non verentur: duplici profecto iniquitate peccantes, quod et altera diripiunt, et sacris in suis vanitatibus, et turpitudinibus abutantur. *(S. Bern. ser. 23. in Cant.)*

Obsecro te, ne officium Clericatus, genus antiquae militiae putes, idest ne lucra saeculi in Christi quaeras militia; ne plus habeas, quam quando Clericus esse coepisti. Nonnulli enim sunt, qui possident opes sub Christo paupere, quas sub locuplete, et fallace diabolo non habuerant; ut suspiret eos Ecclesia divites, quos mundus tenuit ante mendicos. *(S. Hier. ep. ad Nepot.)*

Quidquid praeter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altari retines tuum non est, rapina est, sacrilegium est. *(S. Bern. ep. 2. ad Fulc.)*

Esurientis est panis, quem tu retines, nudi est vestis, quam in arca custodis, discalceati calceus, qui apud te marcescit, egentis argentum, quod tu terrae in fossum possides. *(S. Basil.)*

Tolle pecuniarum studium, et omnia mala sublata sunt. *(S. Jo. Chr. hom. 17. in I. ad Tim.)*

Latro est, et templum Dei in latronum convertit speeum, qui lucra de Religione sectatur, cultusque ejus non tam cultus Dei, quam negotiationis occasio est. *(S. Hier. in Matth. 21. 18.)*

Observa propter avaritiam Sacerdotum, altaria Dei, nummulariorum mensas appellari. *(Idem.)*

Clericus sicut juxta sui Etymologiam vocabuli ipse sors Dei est; ita et nihilominus et Deus omnipotens ejus esse portio perhibetur: unde et Jeremias ait; Pars mea Dominus. Et alibi Deus: Opus manuum mearum tu es, haereditas mea Israel. Si igitur Clericus Dei est portio, et Deus portio ejus, non levem creatori suo contumeliam videtur inferre, qui super hoc singulare talentum terrenam aestuat pecuniam cumulare. *(S. Petr. Dam. opusc. 27. de com. vit. Canonic.)*

Vae, vae, in domo Dei horrendum videmus. Quid? Idololatras ministrantes. Mentior, si non idolorum servitus, avaritia est. Quod enim quisque prae caeteris colit, id sibi Deum constituisse perhibetur. *(S. Bern. Declam. c. 5.)*

Tanquam Judas tradit impiis manibus Salvatorem propter vilis pecuniae quantitatem: Christum venali commercio distrahit, et pro amore pecuniae tradit auctorem vitae. *(S. Petr. Dam. opusc. 26. contr. inscit. Sacerd. c. 4.)*

Negotiatorem Clericum, et ex inope divitem, ex ignobili gloriosum, quasi pestem fuge. *(S. Hier. ep. 2. ad Nepot.)*

Sicut proditor Salvatoris, qui ut exiguae summae perciperet quantitatem, sub venalitate distraxit rerum omnium

conditorem, et pro vilis amore pecuniae auctorem tradit vitae. *(S. Petr. Dam. l. 2. ad Episc. Card. vel opusc. 31. c. 4.)*

Quod sine miserabili gemitu dicendum non est; Christi opprobria, sputa, flagella, clavos, lanceam, crucem, et mortem, haec omnia in fornace avaritiae conflant, et profligent in acquisitionem turpis quaestus, et prelium universitatis suis marsupiis includere festinant: hoc solo sane a Juda Iscariotis differentes, quod ille horum omne emolumentum denariorum numero compensavit, isti voraciori ingluvie lucrorum infinitas exigunt pecunias. *(S. Bern. serm. ad Cler. in Conc. Remens. et serm. 10. in Cantic.)*

Cum passus sit Dominus in cruce pro salute mundi, nunc mactatur in altari pro unius commodo, et facultate Presbyteri. Tunc crucifixus est pro totius mundi multitudine, nunc quasi pro unius homuncionis utilitate salutaris hostia videtur offerri. Isti plane Sanctorum Patrum qui in Sacerdotali Ordine floruerunt, non legitimi filii, sed potius manzeres, atque ideo nec haeredes . . . *(S. Petr. Dam. l. 4. ep. 14.)*

Sed nec sacrilegia eorum recensemus, qui diligunt munera, sequuntur retributiones, vendunt Sacramenta; justitiam produnt, quorum necdum guttur traxit ad laqueum, necdum praefocavit fauces verbum blasphemiae, vox sacrilega, sermo nequam: Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam? *(S. Bern. Declam. c. 4.)*

Facto pacto Sacramentum vendidisti, et Salvatorem tuum prodidisti cum Juda. *(S. Aug. ser. 37. ad fr. erem.)*

Ingenti periculo Sacerdotes, qui Ecclesiae sunt oculi, curis pecuniae, et incrementis occupantur. Ecclesiae enim lumen sunt, idest, Ecclesiae, cui per naturam suam tenebrae sunt, quantae insuper tenebrae de exemplo tenebrosi luminis invehentur? *(S. Hilar. in Psal. 138.)*

Vae generationi huic a fermento Pharisaeorum. Sic serpit hodie putrida tabes per omne corpus Ecclesiae, quo latius eo desperatius, eoque periculosius quo intestinius. Nam si insurgeret apertus haereticus, mitteretur foras, et aresceret: Si violentus inimicus absconderet se quis forsitan ab eo. Nunc quomodo ejiciet, aut quomodo abscondet se? Omnes amici, et inimici: omnes domestici, et nulli pacifici; et quae sua sunt quaerunt omnes. Ministri Christi sunt, et serviunt Antichristo. *(S. Bern. serm. ad Cler. in Conc. Remens. et ser. 33. in Cantic.)*

Nihil tam asperum, tam perniciosum est, quam si Ecclesiasticus, maxime qui in sublimi loco est, divitiis hujus saeculi studeat, quia non solum sibi ipsi, sed et caeteris obest: contrariam enim dat formam hominibus. Necesse est enim multos imitatores ejus existere ad perditionem. Quanto honoratior ordine est, tanto magis suadet imitandum se, maxime in hac re, ad quam ista vita proclivis est. *(S. Ambr. in c. 6. ad Tim. 1.)*

Sine ea, animi scilicet magnitudine, qua pecuniae imperet, vastator potius, quam Antistes, et pro Pastore lupus fuerit. *(S. Jo. Chr. l. 3. de Sacerd. c. 13.)*

Mercenarius curam sollicitudinis non habet. Animae pereunt, et ipsae de terrenis commodis laetatur. Lupus rapit, dispergit oves, gregem dissipat: sed contra haec mercenarius nullo zelo accenditur, nullo fervore dilectionis excitatur, quia dum sola exteriora commoda requirit, interiora gregis damna negligenter patitur. *(S. Gr. P. hom. 14. in Evang.)*

Clericorum avaritiae adscribitur, quod quotidie fere capitula, sive concilia sua tenent, quaerentes non morum correctionem, sed nummorum extorsionem. *(Petr. Bles. ser. 57. in Syn.)*

Clericus, qui captus est amore pecuniae, nequaquam idoneus est ad ministranda verba doctrinae. *(S. Petr. Dam. opusc. 24. c. 6.)*

Qui non dat pro ovibus substantiam suam, quando pró his daturus est animam suam? *(S. Gr. P. hom. 14. in Evang.)*

Avaritia, fermentum, cujus admixtione tota massa corrumpitur, quae subditos perversa imitatione corrumpit. Quid enim faciet laicus simplex, nisi quod patrem suum spiritualem viderit facientem? *(Petr. Bles. ser. 57.)*

Qui celebrat, vel praedicat, vel baptizat, ut inde lucrum acquirat, bonis coelestibus de facto se privat. *(S. Aug. ad Presb. serm. 36.)*

In multis notabilis est avaritia Sacerdotum, praesertim cum pro quaestu temporali faciunt se ordinari, dum in spe vilissimae oblationis Sacramenta conficiunt, de cadaveribus litigant, sepulturam, et baptismum vendunt, nihil gratis impendentes, sed in universis suam sequentes avaritiam. *(Petr. Bles. serm. 57. ad Sacerd.)*

Reditus Ecclesiarum sibi commissarum opportune, et importune requirunt, oblationes toto cordis hiatu concupi-

scunt, ore nonnunquam impudenter exigunt, advenientes utraque manu recipiunt. *(Hugo a S. Victore, allegoriar. in Matth. l. 2. c. 2.)*

Ecce discutiamus mentem, perquiramus veritatem. Nunquid Missam cantare, nunquid baptizare, nunquid mortuum sepelire sine pretio vel promissione dignamini? Nunquid non citius mortem divitum, quam corporis salutem desideratis videre? Ecce quomodo lupi estis. *(S. Aug. ad Presb. suos. ser. 36.)*

Ne lucra saeculi in Christi militia quaeras. *(S. Hier. ep. ad Nepot.)*

Contemnamus pecunias ne contemnamur a Christo. *(S. Jo. Chr. hom. 7. in ep. ad Rom.)*

Exemplum Judae omnibus avaris propositum est: ut qui ejusdem criminis reus fuerit, eadem supplicii in die judicii sententia feriatur. *(Quid. Auct.)*

Ad caelestem, et nullis furibus obnoxium thesaurum prudenter animus intendendus est. *(S. Nil. Mon. Serapioni Presb. ep. 134. l. 1.)*

Cesset altaribus imminere prophanus ardor avaritiae, et et a sacris aditis repellatur piaculare flagitium. *(C. de Episc. et Clericis L. Si quemq.)*

Ab Ecclesiastico Ordine omnis avaritiae suspicio abesse debet. *(Conc. Trid. Sess. 21. c. 1. de Reform.)*

Animarum salutem inquirere Sacerdos, non lucra terrena debet. *(Conc. Cabilon. II. sub Karolo Magno a. 813. c. 6.)*

Virum catholicum, et praecipue Domini Sacerdotem, sicut nullo errore implicari, ita nulla oportet cupiditate violari, dicente Scriptura, post concupiscentias tuas non eas; mens enim pecuniae avida, nec abstinere novit a vetitis, nec gaudere concessis, nec pietati adhibere consensum. *(Can. Virum. Dist. 47.)*

Pervenit ad S. Synodum, quod quidam in Clerum videntur adlecti propter lucra turpia, conductores alienarum possessionum fiant, et saecularia negotia sub cura sua suscipiant. Dei quidem ministerium parvipendentes, saecularium vero discurrentes domos, et propter avaritiam patrimoniorum curam sumentes. Decrevit itaque nullum deinceps, aut possessiones conducere, aut negotiis saecularibus se immiscere. *(Conc. Calced. can. 3.)*

Non saeculi vos mercatores, non mammonae ministri estis, sed Christi mercatores. Nolite thesaurizare vobis the-

sauros in terra, sed bonorum operum abundantia cum charitate conjuncta, facite thesauros in coelis. Audete vos lucrari animas Deo, et coeleste horreum augere. *(Conc. Med. V. p. 3. Tit. Monitiones.)*

Vitio cupiditatis addictus, cupidis amorem non potest dissuadere pecuniae. *(Conc. Aquisgr.)*

Qui stipem Ecclesiae in suos convertit usus, Scriba est, et Pharisaeus, similisque Judae perdito. *(Conc. Paris. VI. a. 829. l. 1. c. 15.)*

Cum nullus Christianus thesauros in terra, sed potius secundum Domini sententiam in coelo recondere debeat; cavendum summopere Sacerdotibus est, ut ab avaritiae peste, quae est idolorum servitus; et cupiditate, quae radix omnium malorum est, suosque sectatores a regno Dei excludant, se compescant. Quoniam digne non possunt subditis praedicare ut ab his se abstineant, cum ipsi his, quod valde dedecus, imo periculosum est, se mancipaverint. *(Conc. Paris. VI. sub Ludov. Pio. a. 829.)*

Non satis inutiliter in populo avaritia redarguitur, si ab his qui in Clero constituti videntur, modis omnibus non cavetur. *(Conc. Lateran. sub Alex. III. p. 2. c. 10.)*

His ita praemissis, oportet Sacerdotes Domini, ut ab appetitu avaritiae, et cupiditatis se cohibentes, sibi subjectis in omnibus virtutum profectibus imitabiles exhibeant, quibus pro omnibus divitiis solus Christus abundat. *(Conc. Paris. VI. l. 1. c. 13.)*

Prima causa ob quam male audit Clerus, est omnium malorum radix cupiditas; ex qua sacrilegia, simoniae, et omnis fere malorum cohors prodiit. *(Convent. Melodun. a. 1579. Tit. tres. causae.)*

Valde dedecus est, cum avaritiae, et cupiditati se mancipaverint Sacerdotes. *(Conc. Paris. VI. sub Ludov. Pio. a. 829. l. 1. c. 13.)*

Ne quia tenuem reditum habetis, lucrum quaerite: ne quaestum vos appetendo, injuriam vestro Ordini facite, avaritiae sordibus volutati. *(Conc. Mediol. IV. p. 3. Tit. Monitiones.)*

Gravius, atrociusque hae pestiferae lues, avaritia, et cupiditas, in illis damnantur, quam in iis, qui eorum dictis, et exemplis ab his coerceri debuerunt. *(Conc. Paris. VI. l. 1. c. 13.)*

Ne pecuniae, lucrive avidi sitis: Nemo potest servire Deo, et mammonae: aut enim unum odio habebit, et al-

terum diliget, aut unum sustinebit, et alterum contemnet, inquit Christus Dominus. *(Conc. Med. IV. p. 3. Tit. Monitiones)*

Quosdam Presbyteros invasit avaritia, suisque retinaculis adeo vinxit, captivosque effecit, ut instar coecorum, nesciant quo eant, nesciantque quid esse vel quid agere debeant. *(Conc. Paris. VI. l. 1. c. 49.)*

Execrabilis quorundam Sacerdotum avaritia, usque ad Sacramentorum ipsorum contemptum, et injuriam nonnunquam irrumpit, dum sine numerato pretio conferre Sacramenta detrectant. *(Conc. Moguntin. a. 1549. c. 92.)*

Auditu horribile audivimus, et relatu, quod quidam scilicet miseri Sacerdotes, dum forsan in beneficium Vicariae, vel ad firmam seu quacumque alia quaestus causa, proventus ex altari, aut ex poenitentia venientes recipiunt, non aliter admittunt ad poenitentiam confitentes, nisi prius ab ipsis, in sinu avaritiae suae quidquam reponatur; sicque faciunt de aliis Sacramentis. *(Conc. Londinens. a. 1237. c. 4.)*

Ne quid de Sacramentorum administratione a quoquam, velut debitum, aut exigant, aut recipiant; quod consuetudo rationabilis laudabiliter introducta, et hactenus observata non permittit. *(Conc. Mogunt. a. 1549. c. 92.)*

Oportet ut si quando Sacerdotes, fruges vel quosdam reditus terrae, congregant, et protelant, non ideo hoc faciant ut carius vendant, et thesauros congregent, sed ut pauperibus tempore necessitatis subveniant. *(Conc. Cabilon. a. 818. sub Karol. c. 8.)*

Proponite vobis sanctorum veterum Patrum vitam, qui lucrum non spectabant, temporalia non quaerebant, et nihil iis tamen deerat, imo in paupertate illis aliquando abundabat, quod aliis erogarent. *(Conc. Mediol. IV. p. 3. Tit. Monitiones.)*

Qui Sacris initiari volunt, admonendi sunt, ut nihil sibi tanto munere indignum proponant: alii enim eo consilio ad hanc vivendi rationem se convertunt, ut quae ad victum, vestitumque necessaria sunt, parent, ita ut praeter quaestum nihil aliud in Sacerdotio, quemadmodum vulgo caeteri homines in quovis sordidi artificii genere spectare videantur. Quamvis enim ex Apostoli sententia, natura, et divina lex jubeat, ut qui altari servit, ex altari vivat, tamen quaestus, et lucri causa ad altare accedere maximum sacrilegium est. *(Cat. Rom. de Sacr. Ord.)*

Alios honorum cupiditas, et ambitio ad Sacerdotalem Ordinem ducit. Alii vero ut divitiis affluant initiari volunt: cujus quidem rei illud argumento est, quod nisi opulentum aliquod Ecclesiasticum Beneficium eis deferatur, nullam Sacri Ordinis cogitationem habent. Hi vero sunt, quos Salvator noster mercenarios appellat, et quos Ezechiel dicebat, semetipsos, et non oves pascere: quorum turpitudo, et improbitas non solum Sacerdotali Ordini magnas tenebras effundit, ita ut jam nihil fere a fideli populo haberi possit contemptius, et abjectius, verum etiam efficit, ut ipsi nihil amplius ex Sacerdotio consequantur, quam Judas ex Apostolatus munere, quod illi sempiternum exitium attulit. *(Idem.)*

O! qui Judam imitatus es in avaritia, ne sequaris illum usque ad laqueum. Forsan castus es, sobrius es, doctus es, humilis es, pius es; et illusione tua te credis sanctum: verum avarus es, et peribis; morieris cum divite, et cum illo in inferno sepelieris. *(Quid. Auct.)*

—

Inclina cor meum, Deus, in testimonia tua, et non in avaritiam. Ecce voluntarie omnia mea sacrifico tibi, et praebeo cor meum: omnia mea tua sunt; sis tu dilectus meus mihi, et ego tibi. Quid mihi hac mutua dilectione carius? quid mihi suavius? O Deus charitas! O vita animae meae! diligam te, non verbo tantum, et lingua, sed opere, et veritate. Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, et dives sum satis, nec quidquam ultra poscam. O unum necessarium! Hoc unum volo, unum quaero, Deum meum, et omnia. Fac quaeso Domine, ut delecter in via testimoniorum tuorum sicut in omnibus divitiis. O Jesu tu thesaurus meus es, in te unico fixum sit cor meum; nec divitias, nec paupertatem dederis mihi, sed tantum victui meo tribue necessaria, ut habens alimenta, et quibus tegar, his contentus sim.

CAPUT XXX.

De charitate in pauperes exercenda.

—

Qui miseretur pauperis, foeneratur Domino. *(Eccl. 4.)*

Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur. *(Prov. 22.)*
Benedictio super caput distribuentis. *(Idem. 4.)*
Esto pupillis misericors, et eris tu velut filius Altissimi. *(Eccl. 4.)*
Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, ipse clamabit, et non exaudietur. *(Prov. 7.)*
Frange esurienti panem tuum. *(Isai. 58. 7.)*
Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. *(Matth. 5.)*
Thesaurizate vobis thesauros in coelo, ubi neque aerugo, neque tinea demolitur. *(Matth. 6.)*
Date, et dabitur vobis. *(Luc. 6.)*
Ministri Ecclesiae qui stipendiorum superflua, quibus egeni sustentandi forent, impie, et sacrilege sibi retinent, duplici peccant iniquitate, quod et aliena diripiunt, et sacris in suis vanitatibus abutuntur. *(S. Bern. l. de mor. et offic. Episc. c. 2. n. 7.)*
Si aliquid sibi retinuerit Episcopus de his quae sunt pauperibus eroganda, non est dubium, quod contra fidem desponsationis agit, et mortaliter peccat, et ad restitutionem tenetur. *(S. Th. 2. 2. q. 185. a. 7.)*
Scientes nihil aliud esse res Ecclesiae, nisi vota fidelium, praetia peccatorum, et patrimonia pauperum. *(S. Prosp. l. 2. de vit. contempl. c. 9.)*
Intelligant non nobis, sed aliis possidere, nec habendi cupiditate Ecclesiae facultates ambire, sed eas pietate subveniendi suscepisse. *(Idem.)*
Agnoscant se positos a coelesti Domino dispensatores subsidiorum temporalium, et tanto humiliter praebeant, quanto aliena esse intelligant, quae dispensant. *(S. Gr. P. p. 3. in Past.)*
Res Ecclesiae, non quasi propriae, sed ut communes, et Domino oblatae, cum summo timore non in alios, quam in praefatos usus sunt fideliter dispensandae, ne sacrilegii reatum incurrant, qui eas inde abstrahunt ubi traditae sunt, ne poenam Ananiae, et Saphirae incurrant, si non in corpore, in anima, quae mortua, et alienata a consortio fidelium, cadat, et in profundum barathri labatur. *(Urban. P. I. ex act. 5.)*
Si privatum possidemus, quod nobis sufficiat, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus. *(S. Aug. ad Bonif.)*

Non requiritur a nobis divitiarum indigentia, sed contemptus. Divitiae, inquit David, si affluant, nolite cor apponere: non dixit, ne affluant, sed ne cor apponatur. Porro cor prohibuit apponere, sed non manum. Possumus itaque licite divitias possidere, si tamen earum nos non reputaverimus dominos, sed ministros. Si intellexerimus patrimonium Christi, si proventibus Ecclesiae, si pauperum necessitatibus erogentur. *(Arnulphus Lexov. ser. in Conc. Tur. t. 3. Bibl. SS. Patr.)*

Sacerdos cui dispensationis cura commissa est, non solum sine cupiditate, sed etiam cum laude pietatis, accipit a populo dispensanda, et fideliter dispensat accepta; qui omnia sua, aut pauperibus distribuit, aut Ecclesiae rebus adjungit, et se in numero pauperum, paupertatis amore, constituit; ita ut unde pauperibus subministrat, inde et ipse tanquam pauper voluntarius vivat. *(Julian. Pomer. de vit. contempl. l. 2. c. 11.)*

Res pauperum, non pauperibus dare, par sacrilegii crimen esse dignoscitur: sane patrimonia pauperum sunt facultates Ecclesiarum, et sacrilega eis crudelitate surripitur, quidquid sibi ministri, et dispensatores, non utique domini, vel possessores, ultra victum accipiunt, et vestitum. *(S. Bern. Declam. c. 7.)*

Incassum ergo se innocentes putant, qui cum accepta non tribuunt, in proximorum nece grassantur: quia tot pene quotidie perimunt, quae morientium pauperum apud se subsidia abscondunt. *(S. Gr. P. Past. p. 3. c. 22.)*

Clamant nudi, clamant famelici, conqueruntur, et dicunt: Nostrum est, quod effunditis; nobis crudeliter subtrahitur quod inaniter expenditis. Et nos enim Dei plasmatio, et nos sanguine Christi redempti sumus. Nos ergo fratres vestri, videte quale sit de fraterna portione pascere oculos vestros. Vita nostra cedit vobis in superfluas copias. Nostris necessitatibus detrahitur, quidquid accedit vanitatibus vestris. Jumenta gradiuntur onusta gemmis, et nostra non curatis crura nuda caligulis. Duo denique mala de una prodeunt radice cupiditatis, dum et vos vanitando perditis, et nos spoliando perimitis. Et pauperes modo quidem coram Deo tantum, cui corda loquuntur. Caeterum in futuro stabunt in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt; stante pro eis Patre orphanorum, et Judice viduarum. Ipsius enim tunc vox erit: quamdiu non

fecistis uni de his minimis meis, nec mihi fecistis. *(S. Bern. ad Henr. Senon. Ep. 42. c. 2.)*

Quid das opes tuas ventri, qui nihil retribuit, nisi stercus? Quid gloriae, quae reddit livorem, et invidiam? Quid voluptati, quae gehennam parit, et vermes venenosos? Hi sunt divitum debitores, quos malunt, quam Deum. *(S. Jo. Chrys.)*

Manus Sacerdotum modo inunctae sunt piee cupiditatis ad retinendum, quae deberent esse inunctae unctione charitatis ad largiendum. *(Card. Ugo, in Bal. 25.)*

O quanta abusio est Christi ditari divitiis, et Christo velle nihil tradere! Nonne thesauri Christi sunt facultates Ecclesiasticae? Unde temporalia Ecclesiis sunt praerogata stipendia? Nonne propter Christum? Nonne ut pauperibus erogentur? Noli igitur tu qui praesides retinere quod alienum est, ne furti reprehendaris in causa. *(B. Laurent. Justinian. tract. Complanct. Christian. perfect.)*

Quod habet Ecclesia, cum omnibus nihil habentibus commune habet. *(S. Prosp. l. 2. de vit. contempl. Sacerd. c. 9.)*

Aurum Ecclesia habet, non ut servet, sed ut eroget, et subveniat in necessitatibus. *(S. Ambr. l. offic. c. 28. Refert. 12. quaest. 2. c. Aurum.)*

Manus pauperis est manus Christi: dante te eleemosynam, Christi manus accipit illam. *(S. Petr. Chrys.)*

Esurienti dedisti panem, nudo vestem: illi quidem pasti sunt, et refecti; sed ad te redit, quod dedisti, cum fructibus, et usuris, non solum in hac vita, sed in gloria. *(S. Ambr. ser. 81.)*

Manducante paupere de bonis tuis, prandet Christus. *(S. Aug. ser. 65. de temp.)*

Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus .... Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in saeculum saeculi. Largitatem impensam pauperibus, non vocare misericordiam, sed justitiam maluit. *(S. Gr. P. Past. p 3. c. 22.)*

Cum quaelibet necessaria indigentibus ministramus, sua illis reddimus, non nostra largimur: Justitiae debitum potius solvimus, quam misericordiae opus implemus. *(Idem.)*

Accepisse quod pauperibus erogandum sit, et esurientibus plurimis, vel cautum esse velle vel timidum, aut quod apertissimi sceleris est, aliquid inde subtrahere, omnium praedonum crudelitatem superat. *(S. Hier. ad Nepotian, ep. 2.)*

Pauper, Christi vicarius est, et sicut se in eo contemni erubescit, ita se in eo recipi delectatur: Quamdiu, inquit, uni istorum fecistis, mihi fecistis. *(Petr. Bles. ep. 91. ad Radulphum. Lexoviens. Episc.)*

Ad tribunal illius qui pauperes singulariter diligit, qui se in paupere se perhibet esurire; ad tribunal, inquam, illius qua conscientia venit, qui alimenta se subtraxisse pauperibus recognoscit? Si damnatur ille qui vel unum hominem perimit ferro, qua sententia dignus erit, qui bona Ecclesiae profligando quamplures interficit famis, et inopiae gladio. *(S. Petr. Dam. l. 4. ep. 12.)*

Convenit Pastoribus Ecclesiarum res Ecclesiae possidere, non ab his possideri; et ut Prosper scribit, eas possidendo debent contemnere, et non sibi, sed aliis possidere. *(Conc. Paris. VI. l. 1. c. 18.)*

Quidquid habent Clerici, pauperum est. *(Dist. 16. q. 1. c. Quoniam.)*

Dubitare non debent Clerici ad eum finem hanc copiam bonorum illis esse attributam, ut praeter ea, quae ad victum, et cultum eorum satis essent, suppeterent etiam, quibus divini cultus, ornatus, et splendor conservaretur, et pauperum inopia, et indigentia sublevaretur. Ex eo itaque quod iis, congrua substentatione detracta, supererit, si necessaria pauperibus alimenta denegarint; intelligant, se quae non paverint, occidisse, atque ob violatam sanctissimae charitatis legem mortale peccatum commisisse, quo sibi iram in die irae thesaurizaverunt. *(Acta. Eccl. Med. p. 1. Syn. Dioec. 1.)*

Christi visceribus substantiam Ecclesiasticam erogate. *(Conc. Med. IV. p. 3. Tit. Monitiones)*

Qui non dat pro ovibus substantiam suam, quando pro eis daturus est animam suam? Primum itaque nostrum est exteriora nostra ovibus ejus impendere: postmodum vero si necesse sit pro iisdem ovibus animam ponere. *(Conc. Paris. VI. l. 1. c. 12.)*

—

O bone Jesu, rerum omnium Domine, ac Pater charitatis, et misericordiae, qui natus in praesepio, nudus in cruce pro me mortuus es, aufer a corde meo thesaurorum, bonorumque hujus terrae cupidinem, illamque spiritus paupertatem concede, quae beatum quemlibet tuum

sequacem reddit. Revertere, ut intueamur te beneficia largientem: concede mihi efficacem tui in sancta charitate imitationem, ut avaritiam exosus erga pauperes misericordiae, ac pietatis semper viscera sentiam, et audire merear in ultimo districtionis die suavissima illa verba: venite benedicti Patris mei possidete regnum vobis paratum a constitutione mundi: quia esurivi, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; nudus eram, et cooperuistis me.

CAPUT XXXI.

De venatione.

Nullum invenimus in divinarum serie scripturarum de venatoribus justum. *(S. Ambr. in Ps. 118. ser. 8. n. 42.)*

Pessimi venatores. *(Idem.)*

Esau venator erat, quoniam peccator erat, et penitus non invenimus in Scripturis Sanctis sanctum aliquem venatorem. *(S. Hier. in Ps. 90. ad haec verb. Liberabit de laqueo venantium.)*

O miseram vitam hominum, et maxime Sacerdotum, qui, dum lucrandis fidelibus debent insistere, venandis feris incumbunt, et, quos capere oportet homines, capiunt aves, et bestias; qui, dum mortibus student animantium, vitam suarum amittunt animarum! O infelicem vitam! Nam in quo magis quisque carnalis apparet, quam in tali vita: ut B. Hieronymus dixit, Venatorem nunquam legimus sanctum. *(Ivo Carnot. sui Decreti p. 5. de sublimitate Episc. c. 353.)*

Esau, dum officium venationis exequitur, gratia primogeniturae, et paterna benedictione fraudatus est. *(Petr. Bles. ep. 56. ad Gualterum. Roffens. Episc.)*

Nemo scientiam Dei pertinacius a se potest repellere, quam occupatione illiciti amoris vel aucupii voluptate. *(Idem.)*

Ab exordio mundi percurrite Sanctorum Patrum seriem; venite ad Patriarchas; accedite ad Duces; descendite ad Judices: vitam Sanctorum Regum, et Prophetarum, atque Sacerdotum inspicite; nullum eorum invenietis venationi studium impendisse. *(Idem.)*

Non bene conveniunt cilicium, et accipiter, affectio car-

nis, et exercitium voluptatis. *(Idem. ep. 61. ad Reginald. Saresbess. Archid.)*

Volucres coeli, sicut et pisces maris, non ad voluptatem concessae sunt homini, sed ad usum; si tamen hae volucres depraedatoriae, et rapaces aves coeli merito censeantur, quarum exercitio coelum clauditur, aperitur infernus. *(Idem.)*

Primo piscatores misit Deus postea venatores mittit. Quare piscatores? Quare venatores? De abysso, et profundo maris superstitionis, idololatriae credentes piscati sunt retibus fidei; venatores autem quo missi sunt? Cum illi vagarentur per montes et colles, id est, per superbias hominum, per tumores terrarum, mons unus Donatus, et alius mons Arius . . . per istos montes errabant, venatoribus indigebat error ipsorum . . . venator autem sylvas cingit, sentes excutit, terroribus undique multiplicatis cogit in retia; ne hac eat, ne illac eat haereticus inde occurre, inde coede, inde tere; non exeat, non effugiat, sed retia nostra vita est, tantum dilectio conservetur; nec attendas quam illi sis molestus, sed quam tibi sit ille dilectus. *(S. Aug. ser. de utilitate jejunii c. 9.)*

Sane aliud venationis genus ex officio incumbebat, in qua subjectorum est salus et gloria praesidentis: dicit enim Dominus per Prophetam; Ecce ego mittam venatores, et venabuntur in omni monte: Praelati siquidem Ecclesiae venantur in omni monte, dum animas aberrantes quasi in praedam ad obsequium Christi rapiunt in eminentia scientiae, et doctrinae. *(Petr. Bles. ep. 56. ad Gualter. Roffens. Episc.)*

Si igitur Christi discipulus, et professor estis, desinite, quaeso, currere, et clamare post voluptuosas aves; currite, et clamate post eum, qui bene currentes dirigit, qui devote clamantes exaudit. *(Idem ep. ad Reginal. Saresberiens. Archid.)*

Curam non avium, sed ovium suscepistis, in die tremenda computandus in sinistra cum haedis, et extra gregem Domini faciendus, si non oves avibus antefertis. *(Idem.)*

Angelus Domini est Sacerdos, et legem requirent de ore ejus: audiant nostri temporis Sacerdotes, et videant, an juste, an recte tempus in ludis, et venationibus expendant, quod sacris litteris impendendum erat. *(S. Th. de Villanov. conc. 3. de S. August.)*

Sacerdotes facti sunt a Domino venatores animarum; cavere ergo debent, ne fiant venatores bestiarum. *(Quid. Auct.)*

Gravitas, modestia, solitudinis amor, populi reverentiam, ac fidem erga eos conciliabunt. Hinc otium fugiant, eosque pudeat venationibus, jocisque indulgere, ne saeculari conversatione occasionem offensionis, et contemptus populis praebeant. *(Idem.)*

Venationem, et aucupationem Clericis interdicimus; unde nec canes nec aves ad aucupandum habere praesumant. *(Conc. Later. IV. sub Innoc. III. c. 15. a. 1215.)*

Quam sit modestia Clericali indignum, qui paulo ante Breviarium manibus tractabat, eum publice accipitrem deferre: quique cum Angelis laudes Deo persolvebat, eum inter canum latratus, ac multitudinem versari, et incompositis obstrepere vocibus, omnes satis intelligunt. *(Conc. Aquilej. I. de vit. et hon. Cler.)*

Episcopis, Presbyteris, Diaconibus canes ad venandum, aut accipitres habere non liceat: quod, si quis talium personarum in hac voluntate detectus fuerit, si Episcopus est tribus mensibus se a communione suspendat; Presbyter duobus mensibus se abstineat; Diaconus vero uno ab omni officio vel communione cessabit. *(Conc. Agath. can. 55. a. 506.)*

Omnibus servis Dei venationes, idest Clericis, et sylvaticas vagationes cum canibus, et ut accipitres aut falcones habeant interdicimus. *(Dist. 34. ex Conc. Aurel. IV. a. 541.)*

Clerici nec apud canes venationem faciant, nec accipitres portent. *(Conc. Suesson. a. 744. c. 3.)*

Canes, et aves sequi ad venandum, in omnibus quibuslibet sit causis superfluum esse .... ministris Altaris Domini omnino contradicimus. *(Conc. Mogunt. a. 813. c. 14.)*

Venationes quoque ferarum vel avium minime sectentur. *(Conc. Turon. III. Can. 8.)*

Quia in Canone continetur, nullum venatorem invenimus sanctum, statuimus ut Praelati solliciti sint, et intenti in puniendo Clericos venatores, et praecipue Presbyteros, et Religiosos, de quibus majus scandalum generatur. *(Conc. Nannet. 1264.)*

Prohibemus Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, tam regularibus quam religiosis nobis subditis, ne cum cornibus, canibus, vel alio clamore ad aliquas bestias venatio-

nem eant, vel per agros seu nemora, vineas, vel loca alia causa venationis incedant, vel, ubi cum clamore venetur, intersint, et hoc idem prioribus inhibemus. *(Syn. Andegav. 1264.)*

Ex dictis Sanctorum, et ex scriptis Conciliorum omnibus servis Dei, venationes cum canibus, et avibus sunt interdictae. *(Conc. Raven. IV. a. 1317.)*

Volentes igitur praedictorum Monachorum venantium statui periculoso, et detestabili salubriter occurrere, hoc sacro approbante Concilio districtius inhibemus Religiosis omnibus cujuscumque status, conditionis, religionis, vel ordinationis existant, ne de caetero venari seu ad venandum exire praesumant. *(Idem.)*

Cum solatia, et arma Clericorum sint orationes, et lacrymae, omnino prohibemus ne venationi aut aucupationi clamosae cum falconibus, accipitribus, seu aliis avibus praedatoriis, vel canibus venaticis intendant; nec accipitres, seu alias praedatorias aves deferant, aut canes venaticos teneant, et nutriant. *(Syn. Senon. 1524.)*

Venationes clamosas cum falconibus seu aliis avibus praedatoriis vel canibus venaticis improbamus. *(Syn. Carnot. 1526.)*

Contra Clericos venatores, si a venandi consuetudine moniti non desistant, ad poenam Aureliani Concilii, et alterius Laterani procedetur. *(Conc. Senon. a. 1528. Can. 26.)*

Ne ullum venationis genus exerceant, aut canes, accipitresve, aut aliud alent venaticum animal. *(Syn. Aquens. a. 1585.)*

Esau venator erat, quia peccator erat. Quam vero sit modestia Clericali indignum, qui paulo ante Breviarium manibus tractabat, et sacrae lectionis studio intendebat, cum publice accipitrem deferre, et sua in eo studia profiteri: quippe cum Angelis in Ecclesia gratiarum actiones, et laudes Deo persolvebat, cum inter canum latratus, et multitudinem versari, et incomptis obstrepere vocibus sacri Canones declarant; omnes vero facile intelligunt. Consequitur autem, ut panis, qui miserorum pauperum victui sufficeret, panis, inquam, de redditibus ecclesiasticis collectus, quod est patrimonium Christi, ad bestiarum cibum indigne transferatur: cujus criminis ratio districte in die Domini reddetur. Quod ut longe a Clericorum vita, et honestate removeamus, omnibus Clericis, cujuscunque conditionis, et gradus sint, venatorium studium interdicimus,

et districte prohibemus, ac in eos gravius per illorum Ordinarios procedendum statuimus. *(Conc. Aquilej. a. 1596. Can. 11.)*

—

Domine, qui me in Sacerdotem tuum elegisti, ne permittas, quaeso, ut otio, ac hujus mundi solatiis indulgeam, sed fac me dignum ministrum tuum, et in sanctissimo Sacerdotii munere cum omni zelo tibi deservire. Mitte in cor meum sanctae charitatis ignem ut opus tuum digne perficiam, ac fervens fiam venator animarum eodem zelo quo Apostolos tuos constituisti fieri piscatores hominum, omnesque auxiliante gratia tua ad sanctificationem, et gloriam perducam.

CAPUT XXXII.

De nimia consanguineorum dilectione vitanda.

—

Qui dixerit patri suo, et matri suae; nescio vos, et fratribus suis, ignoro vos, et nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquium suum . . . ponet thymiama . . . et holocaustum super altare tuum. *(Deut. 33. 9. 10.)*

Nec in domo Dei, Sacerdos aut Levita eligitur, nisi dixerit patri, et matri, nescio vos. *(Idem.)*

Qui non odit patrem, et matrem, fratres, et sorores, non potest meus esse discipulus. *(Luc. 14. 26.)*

Qui amat Patrem aut Matrem plusquam me non est me dignus. *(Matth. 10. 35.)*

Scriptum est in lege Domini, ut nemo in Sacerdotalem Ordinem, aut Leviticum assumatur, nisi prius dicat patri, et matri, *vale*, idest nisi in eo penitus extinguatur affectio parentelae. *(Petr. Bles. ep. 20.)*

Non differat quaeso, non evacuet propositum tuum proditoria et sedutrix affectio parentelae. Noli eos diligere contra Christum, quos teneris odio habere pro Christo. *(Idem. ep. 11.)*

A propinquis autem, amicis, parentibusve animi affectione nos tam longe oportet esse disjunctos, quam longe eos, qui jam sint vita defuncti, a vivis videmus distare. *(S. Basil. Constit. Monast. c. 20.)*

Haec est vera Sacerdotis fuga, abdicatio domesticorum, et quaedam alienatio carissimorum, ut suis etiam se abneget, qui servire Deo gestit. *(S. Ambr. de fuga saecul. c. 2. n. 7.)*

Fugitans igitur est suorum sacri altaris ejus minister. *(Idem.)*

Nemo in coelestibus est gloriosior, quam qui repudiato parentum stemmate sola elegit Christi paternitate censeri. *(S. Hil. Arel. ser. de S. Honor.)*

Quisquis jam aeterna concupiscit, in ea, quam aggreditur, causa Dei extra patrem, extra matrem, extra uxorem, extra filios, extra cognatos, extra semetipsum fieri debet. *(S. Gr. P. hom. 37. in Evang.)*

Levitici Ordinis gradus non solum extraordinarias abdicat vanitates, sed exterminat etiam naturales affectus, ut non praesumat quis in eo ministrare, nisi prius in ipso prorsus extincta sit affectio parentelae; locutus est enim Dominus ad Moysen, dicens: Non serviat mihi Sacerdos aut Levita, nisi prius dixerit patri suo, et matri: Non novi vos. *(Petr. Bles. ep. 123. ad Richard. London. Episc.)*

Quandiu in mundo sumus, debitores nos constat esse parentum; postquam vero per obedientiam nosmetipsos reliquerimus, nos ab eorum necessitatibus cognoscimus esse solutos. *(S. Laur. Justin. lig. vit. tract. 6. de obed. c. 3. n. 1.)*

Dominus quasi Princeps Sacerdotum formam Levitis in Evangelio dans suo, dixit; Quae est mater mea, aut qui sunt fratres mei? Hoc est; Non agnosco matrem, non recognosco fratres, ignoro proximos: mater mea, et fratres mei ii sunt, qui audiunt verbum Dei, et faciunt. Solum ergo verbum Dei novit minister, cum eos novit, in quibus operatur verbum Dei. *(S. Ambr. l. de fug. saecul. c. 2. n. 7.)*

Quomodo te, bone Jesu, inter meos cognatos inveniam, qui inter tuos minime es inventus? *(S. Bonav. specul. discipl. p. 1. c. 23.)*

Quae mihi mater mea, aut qui fratres . . . Se habuisse matrem manifestavit, cujus tamen terrena cognatione contempta, contemnendarum talium necessitudinum Discipulis praeberet exemplum. *(S. Aug. ep. 38. Laeto. n. 9. p. 871. lit. A. t. 2.)*

Dominus Christus, quando parat homines Evangelio, nullam excusationem vult interponi carnalis hujus, tempo-

ralisque pietatis . . . . Honorandus est pater; sed obediendum est Deo. *(Idem. de verb. Domini serm. 7.)*

Dominus etiam ipse hujuscemodi affectionem, et consuetudinem vetuit; qui quidem ex Discipulis suis cuidam ne id quidem unum permiserit, ut res suas cum propinquis suis componeret; alteri, ut ne cadaver quidem mortui patris humo super injecta contegeret. *(S. Basil. Const. Monast. c. 20.)*

Acquiescit carni, et sanguini quisquis carnalibus propinquis, et consanguineis carnaliter suadentibus assentitur. *(S. August. ep. 38.)*

Gravi damno scientia divina minuitur, si cum carnis notitia partitur. *(S. Gr. P. l. Moral. c. 17.)*

Dum propinquitatem respicimus corporis, et corporis, et animae offendimus Creatorem: genus regale, et Sacerdotale sumus; illum attendamus Patrem, qui nunquam moritur, aut qui pro nobis moritur, et qui ideo vivens mortuus est, ut nos mortuos vivificaret. *(S. Hier. ad Fabiol.)*

Grandis in suos pietas, impietas in Deum est. *(S. Hier. ep. 25.)*

Multi pro parentibus suis animas perdiderunt, quorum occasione mundus, qui in iis aruerat, denuo revirescit. Impius est, qui animae suae pro parentibus est crudelis; majoremque temeritatem hac nemo habet, quam ut animam suam ponat quis ita periculose pro amicis suis. *(Petr. Bles. ep. 11.)*

Qui amat animam suam, perdet eam. Dicam etiam confidenter; Qui amat parentes suos, perdet eos . . . non more patricidarum interficiens eos, sed spiritali gladio verbi Dei carnalem affectum eorum, quo et seipsos, et eos, quos genuerunt, implicamentis hujus saeculi obligare conantur, pie, fidenterque percutiens, et occidens illud in eis vivere faciat, quo fratres sunt, quo cum filiis suis temporalibus parentes aeternos Deum, Ecclesiamque cognoscunt. *(S. Aug. ep. 38. Laeto. n. 4.)*

Saepe quosdam videmus jam praesentis vitae desideria non habere, mundum et opere et professione reliquisse; sed tamen pro inordinatis affectibus propinquorum praetoria irrumpere, terrenarum rerum jurgiis vacare, libertatem intimae quietis relinquere, et mundi studia in se jamdudum destructa reparare. *(S. Gr. P. l. 7. Moral. c. 14.)*

Cum plus, quam necesse est, carnis propinquos diligunt, retracti exterius a cordis parente dividuntur. *(Idem.)*

Postquam quis se tradiderit Deo, non debet denuo ad vitae hujus curas converti; oportet sane et parentes venerari, sed magis oportet venerari Deum. *(Theophil. in c. 8. Matth.)*

Fallax, et proditoria est affectio parentelae. Carnalis amor extra Dei amorem cito te capiet; et affectio mundi, quae jam in te aruerat, in perniciem animi reviviscit *(Petr. Bles. ep. 134.)*

Mortuus es mundo, et parentibus tuis noli iterum in saeculo vivere. *(Idem)*

Praeferenda est religio necessitudini, pietas propinquitati, ea est enim vera pietas, quae praeponit divina humanis, perpetua temporalibus. *(Ambr. in Exod. c. 32.)*

Non differat, quaeso, non evacuet propositum tuae conversionis proditoria, et sedutrix affectio parentelae; noli eos diligere contra Christum, quos teneris odio habere pro Christo. *(Petr. Bles. ep. 11. ad Cleric.)*

Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, adhuc autem et animam suam. etc. Quo in loco, videlicet, dum propinquorum odio animae quoque nostrae odium subinfertur, patenter ostenditur, quia sic propinquos, sicut nosmetipsos odio habere praecipimur, ut hos ad aeterna rapientes, eorumque carnalem gratiam cum praepedit, postponentes, discamus temperata eos discretionis arte, et convenienter diligere, et salubriter odio habere, quatenus sic sciat per amorem odium surgere, ut valeamus eos verius per odium amare. *(S. Gr. P. l. 7. Moral. c. 14.)*

Fugam Sanctorum renuntiantium saeculo designaverunt vaccae illae allophylorum, arcam Dei gestantes; nam sicut illae pignorum affectibus a recto itinere minime digressae sunt; ita Sancti mundo renuntiantes parentelae obtentu non debent a bono praepediri proposito. *(S. Isid. Hispal. Comment. in l. I. Reg. c. 3.)*

Sanctus Pater Antonius, cum epistolas a charis suis in saeculo morantibus recepisset, nullam legere voluit, sed receptas in ignem projecit, dicens; chartae fallaces estis, etiam plenae mendaciis; comburo vos ne comburar a vobis. *(S. Aug. serm. 40. ad Fr. Erem.)*

Admone parentes atque consanguineos tuos carnales, ne te frequentent; dum enim illi coram te de tuis loquuntur, distrahunt mentis in te officium, simul vero te etiam incontinentem sua doctrina vel exemplo reddent; verum sa-

tis est semel vel bis in anno ab iis visitari; si vero inutilem eorum conversationem penitus praescideres, melius ages. *(S. Ephr. apothegm.)*

Si cum Christo una mortuus es istis tuis secundum carnem cognatis, quid tantopere illorum familiarem affectas congressum? *(S. Basil. ad. Chelon. discip.)*

Diabolus, cum omnes nos de rebus vitae hujus curas exuisse animadverterit, et expeditissimo cursu ad Coelum contendere, in hoc elaborat, ut, cum animum nostrum in propinquorum recordationem reduxerit, eo sensim abducat, ut rationibus illorum curandis mentem nostram ad suscipiendas rerum vitae hujus sollicitudines impellat. *(Idem Constit. c. 20.)*

Gladium tenet hostis, ut me perimat, et ego de matris lacrymis cogitabo? Propter patrem militiam patris deseram, cui sepulturam Christi causa non debeo? Domino passuro timide Petrus consulens scandalum fuit; Paulus retinentibus se fratribus, ne Hierosolymam pergeret, respondit: Quid facitis plorantes, et conturbantes cor meum? Ego non solum ligari, sed et mori in Hierusalem paratus sum pro nomine Domini nostri Jesu Christi. Aries iste pietatis, quo fides quatitur Evangelii retundendus est muro. *(S. Hier. ep. ad Heliod.)*

Hunc carnalem affectum et in nobis et in nostris militia Christiana ut perimamus hortatur; nec tamen ita, ut ingratus sit quisque parentibus, servet potius ubique pietatem. *(S. Aug. ep. 38. Laeto. n. 7.)*

Ita viro Ecclesiastico curandum est, ut omnem carnis affectum erga sanguine junctos exuat, ac illum in spiritualem convertat, eosque diligat eo solum amore, quem ordinata charitas exigit, ut qui mundo, ac proprio amori mortuus, Christo Domino nostro soli vivit, eumque loco parentum, fratrum, et rerum omnium habet. *(Quid. Auct.)*

Unusquisque eorum, qui Ecclesiasticae militiae nomen dedit, consilium illud Christi sequendo, *Qui dimiserit Patrem etc.* existimet sibi patrem, matrem, fratres, et sorores, et quidquid in mundo habebat, relinquendum: imo sibi dictum existimet verbum illud: Qui non odit patrem, et matrem, insuper et animam suam non potest meus esse discipulus. *(Idem.)*

Non solum moneo, sed obtestor, ut si patrem vestrum pro Christo offendistis, in ea offensione duretis: qui enim

perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. *(S. Hier. ep. ad. Gerunt. Fil.)*

Hodie in promotione quorumdam prima quaestio est, quae sit summa reddituum, non quae sit conversatio subjectorum. Verumtamen Deus non irridetur. Ad honorem vocavit te propter onera. Non ad multiplicandum numerum familiae aut equorum; non ad dandas parentibus dignitates, sed ad dandam scientiam salutis plebi ejus. *(Petr. Bels. ep. 15.)*

Videtur vitium viris Ecclesiasticis esse commune, ut nimio amore prosequantur affines, et consanguineos, cum tamen ex divino judicio saepe accidat, ut consanguinei, et affines Ecclesiasticorum, quomodo magis locupletati, et impinguati relinquuntur, eo magis obliviscantur benefactorum, et eo citius ipsorum bona profundant. *(Quid. Auct.)*

Est autem illa probanda liberalitas, ut proximos seminis tui non despicias, si egere cognoscas: Non tamen ut illi ditiores fieri velint ex eo quod tu posses conferre pauperibus, neque enim propterea te Domino dicasti, ut tuos divites facias, sed ut vitam tibi perpetuam fructum boni operis acquiras. *(S. Ambr. l. 1. de Offic. c. 30.)*

Satis aperte jam me tibi locutum esse existimabam: nimirum cum sim Cardinalis, non ideo velle me sanguine conjunctos opibus, atque honoribus eos augere, sed in quo statu eos reperi, in eodem plane relinquere animus est, ea dumtaxat, quae sunt ad victum necessaria ipsis subministrando. *(V. Card. Baron. ep. ad Talp. l. 3. c. 8.)*

Sancta Synodus omnino eis interdicit, ne ex redditibus Ecclesiae consanguineos, familiaresve suos augere studeant, cum et Apostolorum canones prohibeant, ne res ecclesiasticas, quae Dei sunt, consanguineis donentur; sed si pauperes sint, eis ut pauperibus distribuant; eas autem non distrahant, nec dissipent eorum causa. Imo quam maxime potest, eos monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotesque, propinquos carnis affectum unde multorum malorum in Ecclesia seminarium extat, penitus deponant. *(Conc. Trid. Sess. 25. de Reform. c. 1.)*

—

Domine, qui dixisti: Quaenam est Mater mea, et qui sunt Fratres mei? Quicumque fecerit voluntatem Patris

mei, qui in Coelis est, ipse meus frater, et soror, et mater est. Memores ergo sacrosancti Ministerii nostri Te humiliter deprecamur, ut gratiam nobis exhibeas, proximum unice propter te diligendi, et nunquam carni, et sanguini acquiescendi, sed sanctissimam Patris tui coelestis exequendi voluntatem, atque ita dulcissimo Parentum tuorum nomine a te vocari mereamur.

CAPUT XXXIII.

De Confessione saepius peragenda.

—

Semper confitere, quia semper habes, quod confitearis; difficile enim est in hac vita, ut sic homo mundetur, ut nihil inveniat in se quod confiteatur. *(S. August.)*

Ad Missae Sacrificium faciendum parate vos omni pietate, in tam alti mysterii meditatione toto animo defixi, ut quo purius id faciatis, propriam conscientiam diligenti, accurato, frequentique examine discutite; tum singulis saltem hebdomadis, atque adeo saepius, et omnino semper, cum peccati mortalis conscii estis, uni e Confessariis Sacerdotibus ad Cleri confessiones audiendas constituto, confitemini. *(S. Car. Bor. Syn. Med. Prov. 4. p. 3. c. 7.)*

Sacerdotes, ut puriores ad divinam rem faciendam accedant, saltem singulis hebdomadis peccata sua confiteantur, nisi eos ob mortalis peccati culpam frequentius id facere oportuerit. *(Act. Eccl. Med. p. 19.)*

Sacerdotes qui quotidie immaculatam Deo hostiam offerunt, saepe abluant animas suas sacro Poenitentiae lavacro, ut puriores quoad fieri potest, ad tremendum illud Sacrificium accedant. *(Quid. Auct.)*

Ut Sacerdotes ad tremenda mysteria sanctius accedant, curent, ut animam suam semel saltem in hebdomada mundare per Poenitentiae Sacramentum non praetermittant. *(Idem.)*

Sacerdos, qui fers vasa sacra, qui panes sanctos edis, et distribuis, mundare saepius a peccatis tuis, et ab iniquitate tua amplius, et amplius lavare. Tu scis hoc, tu doces oves tuas, scilicet, quod frequens confessio iniquitatem magis ac magis deleat, a peccato avertat, a malo praeservet, in bono confortet, vigilantiam foveat, in via

Domini retineat, contra tentationes roboret, pacem sanctam animo infundat, fervorem augeat, hominemque in dies puriorem, et perfectiorem reddat. Tu scis, et doces, quod qui confiteri negligit, paulatim decidat, delicta sua minus intelligat, peccato sensim assuescat, de die in diem fiat in pugna contra animae hostes debilior, facilius in laqueum diaboli incidat, difficilius resurgat, et quo plus differt confiteri, eo plus adhuc differre velit. Quod igitur doces, tu prior ipse observa: confitere frequenter, sciens quod tibi magis adhuc necessarius sit sanctae confessionis usus, quoniam tu caeteris debes esse cautior, et sanctior. Neque dicas: mundus sum, nec indigeo. Quicumque enim dicit: peccatum non habeo; ipse se seducit, et veritas in eo non est. *(Idem.)*

—

Peccavi, Domine, peccavi; scio quod ita sit, quodque facilis, sim et pronus ad peccandum; ideo non sum dignus nec oculos in coelum levare. Verum, o Jesu mi, o Jesu misericordia mea, o Jesu dives in misericordia, o Jesu praestabilis super malitia mea, propitius esto mihi peccatori, ac jugiter munda me pretioso sanguine tuo in Sacramento Poenitentiae: et quoniam nefandissimus peccator sum ego supplex oro, ut miserearis mei secundum magnam misericordiam tuam; doleo quod peccaverim propter te summe dilectum, totaque vita deficiat in gemitibus anima mea.

CAPUT XXXIV.

De necessitate Exercitiis Spiritualibus vacandi.

—

Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine. *(Psalm. 54. v. 8.)*

Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus. *(Os. 2. v. 14.)*

Ingressus Moyses medium nebulae ascendit in montem, et fuit ibi quadraginta diebus, et quadraginta noctibus. *(Exod. 24. v. 18.)*

Ductus est Jesus in desertum a Spiritu. *(Matth. 4. v. 1.)*

Ipse sedebat in desertum, et orabat. *(Luc. 5. v. 16.)*

Venite in desertum locum, et requiescite pusillum. *(Marc. 6. v. 31.)*

Quiescere facit Discipulos Christus, ut sciant Praelati laborantes in verbo, et doctrina dignos esse, quibus detur sua quies, et non semper intendant laboribus. *(Theophil. in Marc. c. 6. v. 31.)*

Ipse Dominus in secessu frequentius agebat, ut liberius oraret, ut saeculo cederet; gloriam denique suam Discipulis in solitudine demonstravit. *(Tertul. l. ad Martyr. c. 2.)*

Ex versic. c. 6. Marc. docemur, inquit Euthimius, oportere Ecclesiae Magistros non semper se exponere multitudini, sed, cum datur opportunitas, retrahi ac solitarios esse, mentemque ab exteriori distractione revocare. Dicat cum Propheta Christi ministerio addictus: Contristatus sum in exercitatione mea, et conturbatus sum a voce inimici, et a tribulatione peccatoris; cor meum conturbatum est in me etc. et dixi: Quis dabit mihi pennas sicut columbae, et volabo, et requiescam; ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine.

Clericum solitudo facit, non publicum. *(S. Hier. ep. ad Ocean. de vit. Cleric.)*

Quandiu quis permixtus est turbis, et in multitudine fluctuantium volutatur, non vacat soli Deo, neque segregatus a vulgo est, nec potest esse Sanctus. *(Orig. hom. 11. in Levitic.)*

Consilium tibi do: in quiete, ac silentio reside, colligensque cogitationes tuas, praeside illis, ut judex, ac spiritum die noctuque scalpe, atque scarifica. *(S. Ephr. t. 2. Paraen. 41.)*

A strepitu negotiorum saecularium remotissimus, studiis spiritualibus, quibus in dies singulos melior ac melior fiat, invigilet. Amet otium sanctum, in quo exerceat animae suae negotium. *(S. Prosper. seu Julian. Pont. l. 1. de vit. contempl. Sacerd. c. 8. n. 15.)*

Christus Ecclesiae Doctores, et Pastores monet ne externis turbis perpetuo se dedant, sed privatim saepe, secretoque agentes animos colligant, eumdemque a publicis negotiis, et occupationibus, quantum res patitur, identidem sevocent. *(Victor Antioch. in vers. 31. c. 6. Marc.)*

Nunc autem, quoniam dies mali sunt, sufficit interim admonitum esse non totum te, nec semper dare actioni,

sed considerationi aliquid tui, et cordis, et temporis sequestrare. *(S. Bern. l. 1. de consid. c. 7.)*

Rectores animarum summi Pastoris Christi vestigia imitentur. Interdum declinent tumultus hominum, fragoresque exteriorum actionum, quae procul dubio distrahunt animum, et rapiunt per diversa ... redeant vero ad se, et subeant orare in monte. Post cujus utique orationis exercitium denuo revertantur ad opus, quatenus pro spirituali consolatione percepta in labore sint alacres, sint in administratione solliciti, et in omni sua exercitatione devoti. *(S. Laur. Just. de regim. Praelatorum. c. 11.)*

Prorsus arbitror praesidentibus aliis fore necessarium, se interdum ab exteriorum fragoribus elongare, orationique devote instare, quatenus liberi ipsi in se libere utilitatibus inserviant proximorum, atque de limpidissimo, ac pacatissimo interioris hominis fonte, saluberrimam divinorum eloquiorum ad se confluentibus aquam valeant propinare, recte consulere, agendaque judicare prudenter. Ad hoc spiritale regimen, sicut decet, explendum, opus est specialis gratiae habere praesidium, otium etiam ab exterioribus ad tempus. *(Idem.)*

Christus eremi amore flagrabat, atque in omnibus salutaris auctor exempli hanc sibi non dignam nobis desiderabat. *(S. Eucher. de laude eremi. et fug. saecul. n. 13.)*

Christus et secretum quaerit, et solitarium locum diligit. *(S. Bern. de inter. domo. c. 66.)*

Christus mystico flumine infusus nihil sibi prius agendum putat, quam ut ad deserta contendat. *(S. Eucher. de fug. saecul. n. 13.)*

Si eremus votiva Deo ab erroribus libero, quanto magis necessaria homini erroribus obnoxio? Si petita non delinquenti, quanto magis exoptanda peccanti? *(Idem.)*

Elias libenter in Carmelo philosophabatur, et Joannes in deserto, et Jesus ipse, ut actiones multitudini, hominumque frequentiae, ita preces quieti, locisque ab hominum commercio semotis fere tribuebat. Quid per hoc sanciens, ac velut lata lege statuens? nempe nobis quoque nonnihil quiescendum esse, ut animo minime turbido cum Deo versemur, mentemque a rebus vagis, et incertis paullum reducamus. *(S. Gr. Nazian. or. 28. n. 20.)*

Solitudo novit vigilias Jesu; solitudo suscepit lacrymas Jesu, solitudo orationes Jesu audiit, solitudo nascentem, praedicantem, solitudo turbas pascentem, solitudo in tran-

sfiguratione coruscantem faciem Jesu sole clarius attendit: solitudo morientem, solitudo resurgentem, solitudo ascendentem Dominum conspexit. *(Petr. Cellens. l. 4. ep. 12)*

Est autem ad cor loqui, juxta idioma Scripturarum, blandis, et consolatoriis verbis, tristitiam, moeroremque temperare. *(S. Hier. in c. 2. Ozeae.)*

Fuit olim erga eremum cura divinae providentiae summa, et maxima; sed nec nunc quidem parva est; nam et nunc cum eremi incolis victus e Coelo lapsus, divinitus insperata supervenit largitate, defluit; habent in coelesti munificentia suum manna, ... e silicibus perfossis respondentes e saxis aquae profluunt. *(S. Eucher. de fug. saecul. n. 17.)*

Pulcra res solitudo, et quies, idque me docet Eliae carmelus, Joannis desertum, ac mons denique ille, in quem Jesum saepe secessisse, secumque animo quieto versatum esse constat. *(S. Greg. Nazianz. or. 16. n. 9.)*

Comites non desiderabat B. Virgo, quae bonos comites cogitationes habebat; quin etiam tum sibi minus sola videbatur, cum sola esset. *(S. Ambr. l. 2. de virginib.)*

S. Martinus, quo utilius proximorum saluti vacaret, solebat ad tempus in coenobium urbi Turonicae vicinum meditationis causa secedere ab omni turba, et strepitu temporalium rerum secretus. *(In vit. S. Martin. ap. Sever. Sulpit.)*

Solitudo arx nostra, quam maxime ex omnibus rebus complexus sum, et velut sociam, et administram, divinaeque ascensionis matrem, et Deum ex homine mirifice suspexeram efficientem, ac mihi statueram totius vitae ducem, ac moderatricem. *(S. Greg. Nazianz. or. 2. n. 1.)*

Nec rebus publicis occupatus, et a fori strepitu remotus, ruris otium, et Ecclesiae cultum placita in secretis domesticis tranquillitate celebravi; et paulatim subducto a saecularibus turbis animo, praeceptisque coelestibus accommodato, proclivius ad contemptum mundi, comitatumque Christi jam quasi de finitima huic proposite via dimicaverim. *(S. Paulin. ep. 2. ad Severum.)*

S. Zenobius Episcopus Florentinus quotannis se subducebat populo, recedens in Monasterio, in quo paulo ante S. Ambrosius versatus fuerat; hic, cum a publicis curis, populari tumultu pro tempore, ut quietius orationibus vacaret, se revocare voluisset, ad Basilicam quamdam parvam parumper a civitate distantem accedere consueverat,

in qua pro eo tempore vitam pene eremiticam ducens duobus Eugenio Archidiacono, et Crescentio Subdiacono comitibus in Christo solabatur: quorum consortio Ambrosius ipse pluries admixtus interfuit. *(Joan. Archipr. Aretin. in vita S. Zenob.)*

Sanctus Augustinus alienatis a se curis saecularibus Deo cum iis, qui eidem adhaerebant, vivebat, jejuniis, orationibus, bonisque operibus in lege Domini meditans die ac nocte. *(Passidius in ejus vita c. 3.)*

S. Laurentius Episcopus Dublinensis in Hibernia delegerat sibi cryptam scopulis praeruptis, et stagnantibus aquis praecinctam; quo nonnisi per scalas manuarias erat accessus. *(Surius in ejus vita c. 16.)*

Joannes Episcopus Hagulstaldensis Ecclesiae secretiorem mansionem in nemore habuit vallo circumdatam, amne separatam, ab urbe sesqui-milliare distantem, in qua vir Dei saepius, ubi opportunitas arridebat temporis, et maxime in Quadragesima, manere cum paucis, atque orationibus, et lectioni quietus operam dare consueverat. *(V. Beda. l. 5. histor. Anglic. c. 2.)*

S. Ugo Lincolnensis Episcopus semel ad minimum singulis annis aestivis vacationibus ad Monasterium Vuictamiense se conferre solebat; ibi tanquam in messe fertili menti suae de spiritualibus providebat frugibus, quas ubertim illic ipse secuerat. *(Surius in ejus vita t. 6. c. 23.)*

Vir Dei Franciscus solitarius remanens, et pacatus nemora replebat gemitibus, loca spargebat lacrymis, pectora manu tundebat, et quasi occultius secretarium nactus confabulabatur cum Domino suo: ibi respondebat judici, ibi supplicabat patri, ibi colloquebatur amico. *(S. Bonav. c. 10. vit. S. Franc.)*

S. Franciscus, quo liberius Deo vacans extergeret, si quid pulveris sibi ex hominum conversatione adhaesisset, cum secundum exigentiam locorum, et temporum alienae condescendisset procurandae saluti, inquietationibus derelictis turbarum solitudinis secreta petebat, locumque quietis. *(Idem. c. 13.)*

S. Carolus Cardinalis Archiepiscopus Mediolanensis bis singulis annis saltem ab urbe discedebat, seque in remotis, solitariisve locis colligens, plures dies totos ab omni alia occupatione liber, tum superioris temporis errata dolebat, tum sese spiritualibus, divinisque contemplationibus ad majorem sanctitatem incitabat. Inde coelesti pabulo re-

fectis animae viribus, ad sua curricula recens alacrisque descendebat. Non modo initio vitae perfectioris hisce meditationibus exercuit, ad mortem iisdem se praeparavit, intermedio tempore vitae bis quotannis, et, si opus erat, propter negotiorum gravitatem saepius eadem se exercitatione poliebat; verum etiam suae Diaecesis futuros Sacerdotes voluit non ante Sacris initiari, quam animum suum fructuoso secessu purgassent; jussit adolescentes, qui in Seminarium Clericorum adscribebantur, proximis ab ingressu diebus iisdem exercitationibus ductu Confessarii diligenter excoli, atque secessum eumdem voluit ab iisdem Clericis quotannis iterari. *(Lib. 7. vit. S. Carol. c. 14.)*

Norbertus Archiepiscopus Magdeburgensis acceptis Sacris Ordinibus convertit continuo pedem, et contulit se ad Sibergense quoddam magnae, et praeclarae famae Monasterium, ubi accepti Sacerdotii addisceret usum, et certa religiose vivendi caperet documenta, completisque ibi diebus quadraginta, rediens ad Ecclesiam, ubi erat Canonicus, se contulit etc. *(Surius in vit. S. Norb. c. 3.)*

Dominus Jesus ad excelsa montis remotiora secessit; et ibi ille Apostolorum maximus; Bonum erat, inquit, nos hic esse, adamans scilicet magnitudinem signi in remotione deserti. *(S. Eucherius de fug. saecul. n. 14.)*

Esto igitur locus aliquis hujuscemodi, qualis hic noster, ita ab hominum congressu liber, ut a nullo extraneorum irrumpente assidua interpelletur meditatio. *(S. Basil. ep. 1. ad Greg. Theolog.)*

Ita habeto sollicitudinem domus, ut aliquam tamen vacationem animae tribuas, eligatur tibi opportunus, et aliquantum a familiae strepitu remotus locus, in quem tu velut in portum quasi ex multa tempestate curarum te recipias, et excitatos foris cogitationum fluctus secreti tranquillitate componas. Tantum ibi sit divinae lectionis studium, tam crebrae orationum vices, tam firma et praessa de futuris cogitatio, ut omnes reliqui temporis occupationes facile hac vacatione compenses; nec hoc ideo dicimus, quo te retrahamus a tuis, immo id agimus, ut ibidiscas, ibique mediteris qualem tuis praebere te debeas. *(S. Hier. ep. 14. ad Celantiam.)*

In solitudine aer purior, Coelum apertius, familiarior Deus. *(Orig. hom. 4. in Exod.)*

Eremum colat, qui vitam cupit, quia amoeni paradisi incola mortem paravit. O! laus magna deserti, ut diabo-

lus, qui vicerat in Paradiso, in eremo vinceretur. *(S. Eucher. de fug. saecul. n. 4.)*

Joannes praeferebat solitudinem sollicitudini, pacem turbationi, quietem tumultui, eremum civitati, sciens quod, quanto remotior esset a frequentia hominum, tanto immunior esset a contagio peccatorum. *(Petr. Blesens. serm. 1. de Adventu.)*

Jesus desertum per quadraginta dies jejunio consecratum poenitentiae dedicavit; ibi tentatus tentatoris malitiam confutavit, ut quicumque in solitudinem fugeret, jam non timeat insidias inimici, sed in loco horroris habeat locum securitatis, et in solitudine inveniat civitatem habitationis. *(Idem.)*

Nimia turba vitiorum sine certamine vincitur, quando solitudo gratiae suffragatur. *(S. Bonav. Pharet. l. 4. c 48.)*

Opus est interdum a tumultu temporalium secessum petere, in quo Deus tanto purius cernitur, quanto cum se solo solus invenitur. *(S. Gr. P. l. 4. Moral. c. 28.)*

Cellae, et Coeli habitatio cognatae sunt, et quod celatur in Coelis, hoc et in cellis; quod geritur in Coelis, hoc et in cellis: quidnam est hoc? vacare Deo, frui Deo. *(S. Bern. de vita solitar. ad Fratres de monte Dei c. 4.)*

Cella terra sancta, et locus sanctus est, in qua Dominus, et servus ejus saepe colloquuntur, sicut vir ad amicum suum; in qua crebro fidelis anima verbo Dei conjungitur, sponsa sponso sociatur, terrenis coelestia, humanis divina uniuntur. *(Idem.)*

Esto quietus in te, secretum dilige, solitudinem quaere moeroris amicam; et placido suo illapsu Spiritus Sanctus descendens ad te, te elevabit ad se, atque dignanter habitabit in te. Propheticam super hoc attende sententiam; sedebit, inquit, solitarius, et tacebit, quia se elevabit supra se, et hoc unde, nisi per orationis exercitium? Optime sibi conveniant remotio quieta, et orationis instantia; nam sicut publicum corporalis actio, ita solitudinis secretum exigit contemplatio. Cum contra adversarios pugnaret Moyses, ascendit in montem; cum divino fruebatur eloquio, montis residebat in vertice, nec coelestium sacramentorum rudimenta percepit, nisi post solitudinis ingressum. Disce igitur solus orare, disce ostio clauso cubiculi Patrem deprecari Coelestem. *(S. Laur. Iust. serm. in Fest. Pentec. n. 3.)*

Solitaria vita coelestis doctrinae schola est, ac divinarum

artium disciplina; illic Deus est totum, quod discitur; via, qua tenditur; totum, per quod ad summae veritatis notitiam pervenitur. *(S. Basil. de laud. erem.)*

Cella spiritalis exercitii mirabilis officina, in qua certe humana anima Creatoris sui imaginem in se restaurat, et ad suae dedit originis puritatem. *(Idem.)*

O quam jucundae sunt sitientibus Deum etiam de viae illae saltibus solitudines! quam amoena sunt quaerentibus Christum illa secreta . . . silent omnia . . . nullus interstrepens illic sonus, nulla, nisi forte cum Deo, vox est. *(S. Eucher. de fug. saecul. n. 23.)*

O solitudo, in qua Deus cum suis familiariter loquitur, ac conversatur. *(S. Hier.)*

Solitudinem non nihil complecti oportet, ut animo minime turbido, et inquinato Deum alloquamur, ac mentem a rebus vagis aliquantisper reducamus. *(S. Greg. Nazian. apud S. Damasc. l. 1. par. c. 37.)*

Ut tutius in cella habites, tres tibi deputati sunt custodes, scilicet Deus, conscientia, et spiritualis Pater. Deo debes pietatem, cui te totum impendas; conscientiae tuae honorem, coram qua peccare erubescas; Patri spirituali obedientiam charitatis, ad quem de omnibus recurras. *(S. Bern. de vit. solit. ad Fratr. de Monte Dei. c. 9.)*

Bonum est Deo parumper sese subducere, ut Moses ille olim, ac postea Jeremias; et rursus ad vocantem prompte, atque impigre accurrere, quemadmodum Aaron, et Isais, ideo paulisper secessi, ut meipsum suspicerem. *(S. Gr. Nazian. or. 41.)*

Erroris maxima causa est, quod homo sibi ipsi est incognitus, qui tamen, ut se noscat, magna opus habet consuetudine recedendi a sensibus, et in animum seipsum colligendi, atque in seipso retinendi. *(S. Aug. l. 1. de Ordine c. 1.)*

Vanis, et alienis cogitationibus non raro distentus animus seipsum in spiritualibus exercitiis colligat necesse est, ne crescat ad extinctionem spiritus dissipatio. *(S. Ambr. in c. 4. Luc.)*

Ad perfectionem adipiscendam ingens in secessu subsidium positum est. *(S. Jo. Chrys. ap. S. Jo. Damasc. l. 1. parall. c. 37.)*

Sancti viri, qui exterioribus ministeriis deservire officii necessitate coguntur, studiose semper ad cordis secreta refugiunt, ibique cogitationis intimae cacumen ascendunt,

et legem quasi in monte percipiunt, dum postpositis tumultibus actionum temporalium, in contemplationis suae vertice supernae voluntatis sententiam perscrutantur. *(S. Gr. P. l. 23. Moral. c, 12.)*

Christus elongavit a persequentibus, ut occasionem iracundiae insanis mentibus abrogaret, mansit in solitudine, ut imperturbati secreti puritate frueretur, tali facto nos commonens, ut, quando iniquitatis alicujus fasce deprimimur, in secreto conscientiae quiescere debeamus. *(Cassiodorus in Psal. 54. v.* 7.*)*

Memento proinde reddere teipsum tibi, nec semper dare actioni, sed considerationi aliquid tui, et cordis, et temporis sequestrare. *(S. Bern. de Consid. l. 1. c. 5.)*

Fuge paullulum occupationes tuas, absconde te modicùm a tumultuosis cogitationibus tuis; vaca aliquantulum Deo, et requiesce in eo. Dic Deo: Eja nunc doce cor meum ubi, et quomodo te inveniam. *(S. Anselm.)*

Quid prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit cordis. *(S. Gr. P. l. 30. Moral. c. 12.)*

Qui corpore remotus vivit, sed tumultibus conversationis humanae, terrenorum desideriorum cogitationibus se inserit, non est in solitudine. *(Idem.)*

Ad componendos mores, atque ad conservandam, augendamque Clericorum sanctimoniam ex diuturna rerum experientia, atque ex ipso Apostolicae Sedis judicio probatissimum est, nihil magis conferre quam spiritualibus exercitiis vacare. *(Quid. Auct.)*

Diuturna experientia compertum est ad retinendam, conservandamque Sacerdotalis Ordinis dignitatem, et sanctimoniam maxime conducere, ut Ecclesiastici viri spiritualibus exercitiis aliquando vacent. *(Encycl. Clement. P. XI.)*

A Sacerdotibus, ab iisque etiam, qui provectiori aetate sunt, hoc si nunquam per ipsos antea praestitum est, omnino praestari peroptamus, ut cum omnis anteactae vitae suae peccata diligenter, riteque confiteantur, tum spiritualium exercitationum, prout iis, qui Subdiaconatum, vel Diaconatum, vel Sacerdotium suscepturi sunt, praescriptum est, studium aliquando suscipiant, quo diligentius in via salutis sibi prospiciant. *(Conc. Mediol. IV. p. 3. de vit. et honest. Cleric.)*

—

Absit a me, o bone Domine, ut cum vocaveris me re-

nuam. Utique statim ad vocem clamoris tui surgam festinanter: sumam pennas sicut columbae, et volabo in desertum, et requiescam prope te. Verum dirige me in veritate tua, et doce me, Deus meus. Indica mihi quid in solitudine me oporteat facere: ego enim coecus sum, et sine intellectu. Voca me, et respondebo tibi: operi manuum tuarum porrige dexteram; ecce ergo, surgam, et pergam.

CAPUT XXXV.

De stricta ratione Deo ab Ecclesiasticis reddenda.

—

Judicium durissimum his, qui praesunt, fiet. *(Sap. 6. 6.)*

Potentes potenter tormenta patientur, et fortioribus fortior instat cruciatio. *(Ibid.)*

Cui multum datum est, multum quaeretur ab eo, et cui commendaverunt multum, plus petent ab eo. *(Luc. 12. 48.)*

Cui plus creditur, ab eo plus exigitur. *(S. Ambr. de dign. Sacerd. c. 3.)*

Omnes nos oportet repraesentari, sive iste sit Papa, sive Cardinalis, sive Archiepiscopus etc. Si reddenda est ratio de his, quae quisque gessit in corpore suo, heu quid fiet de iis, quae quisque gessit in corpore Christi, quod est Ecclesia? *(S. Bern. ser. ad Cler. in Conc. Rhem.)*

Laicus in die judicii stolam Sacerdotalem accipiet, et a Deo chrismate ungetur in Sacerdotium. Sacerdos autem peccator spoliabitur Sacerdotii dignitate, quam habuit, et erit inter infideles, et hypocritas. *(S. Jo. Chrys. hom. 40. in Matth.)*

Peccans severe punieris; et ipsa excellentia dignitatis majoris tibi fiet causa supplicii. *(Idem.)*

Acrius in eum incorruptus Judex animadversurus est, qui ne ex ipso quidem honore melior effectus est. *(S. Isid. Pelus. l. 3. ep. 216. Pallad. Diacono.)*

Sacerdos graviores suae vitae rationes subibit. *(Idem.)*

Siquis indigne Sacerdotii dignitatem sibi usurpare sit ausus, tenebras sibi exteriores, judiciumque absque misericordia sibi consciscit. *(S. Ephr. de Sacerd.)*

Non temere dico sed ut affectus, ac sentio: non arbitror inter Sacerdotes multos esse, qui salvi fiant, sed multo plures, qui pereant. In causa est, quoniam res excelsum

requirit animum: multas enim habet causas, quae depellant ipsum a suis moribus; et innumeris oculis illi opus est undique. *(S. Jo. Chr. hom. 3. in Act. Ap.)*

Non solum homicidii, et contumeliae, et scelerum aliorum reddendam esse rationem; verum etiam, et risum, et intempestivum sermonem, et leviorem scurrilitatem, imo et minora quaedam gravi supplicio esse mulctanda. *(Idem. l. 62. de Compunct. c. 4.)*

Dei solius est justificare, et condemnare, qui statum, et virtutem, conversiones, et gratias, compositionem, et aptitudinem uniuscujusque novit, atque horum unumquemque potest solus discernere: aliter enim judicat Deus Episcopos, aliter Principes, aliter Praelatos, aliter subditos. *(S. Doroth. doctr. 6.)*

Tanto ergo apud Dominum obligatiores sumus, quanto apud homines inulte peccamus; disciplina autem nostra subditos divino judicio tanto liberiores reddit, quanto hic eorum culpas sine vindicta non deserit. *(S. Gr. P. Past. p. 2. c. 6.)*

Qui judex fieri vult animarum, nescit quam durum, quam districtum cogatur expectare judicium. *(S. Bened. apud S. Petr. Damian. opusc. de fug. dignit. Eccl.)*

Esset sine dubio melius nubere quam uri; et salvari in humili gradu fidelis populi, quam in Cleri sublimitate, et deterius vivere, et districtius judicari. *(S. Bern. de Convers. ad Cler. c. 29.)*

Peccatum Sacerdotis maximum judicatur tum propter officii dignitatem, cum propter perversitatem exempli. Multa sunt levia subditis, quae gravia sunt Praelatis; et multa sunt laicis venialia, quae Clericis sunt mortalia. *(Innoc. P. III. serm. 1. in Consecr. Pontif.)*

In Clero quippe tanquam in Coelo gerent iniqua; quid nisi de ministerio judicetur? Coeleste tenet officium; Angelus Domini exercituum factus est; tanquam Angelus aut eligitur, aut reprobatur. Iuventa quippe in Angelis pravitas, et districtius judicetur necesse est, et inexorabilius quam humana. *(S. Bern. declam. c. 21.)*

Audite haec Sacerdotes; auscultate quia judicium vobis est. Et hoc est quod alibi scriptum est. A domo Domini incipiet judicium. Et Dominus ad suos Angelos loquens, ait: Ite, et incipite a Sanctuario meo. Cum vobis in Apostolis sit promissum sedere super sedes duodecim, et judicare duodecim. Tribus Israel, ignominiosum est, si a

vobis judicium incipit, et si prius judicamini, qui judicare alios debuistis; ignominiosum est, si Pastores cum hoedis numerandi sunt ad sinistram, si piscatores cum malis piscibus ejiciendi sunt foras, si operatores vineae Domini Sabaoth cum sermentis, et infructuosis palmitibus succenduntur. *(Petr. Bles. ser. 59. ad Sacerd.)*

Unusquisque Christianorum pro suo peccato reddet rationem; Sacerdotes autem non solum pro suis, sed et pro omnium peccatis reddituri sunt rationem. *(S. Jo. Chr. hom. 38. in Matth.)*

Quid miseris illis dixeris, qui se conjiciunt in tantum abyssum suppliciorum? Omnium, quos regis, mulierum, et virorum, et puerorum a te reddenda est ratio; tanto igni caput tuum subjicis. *(Idem. hom. 34. in ep. ad Hebraeos.)*

Pro iis singillatim omnibus, qui nobis concrediti fuerint, rationem reddere cogemur. *(Idem. l. 6. de Sacerd. c. 1.)*

Non solum pro suis arguuntur delictis, sed et pro populi peccatis coguntur, ne forte ipsorum sit culpa, quod populus deliquerit, ne forte non docuerint, ne forte non monuerint, atque solliciti non fuerint arguere eos. *(Orig.)*

Ipsi pervigilant tanquam rationem reddituri pro animabus vestris. Si pro se, fratres, unusquisque vix poterit in die judicii rationem reddere, quid de Sacerdotibus futurum est, a quibus sunt omnium animae requirendae? *(S. Aug. ser. 15.)*

Qui honoris solius compos effectus est, aliaque omnia jura, quae ad Episcopatus administrationem attinent, contempsit, illic apud incorruptum judicem in tremendo illo tribunali clamoribus exagitabitur, fame oppressis clamantibus, nobis ne necessario quidem cibo frui contigit; hic autem in luxu, ac congerendis pecuniis versatus . . . Haec igitur cum animis nostris reputantes, divinas res ludibrio ne habeamus; nam, qui privatis etiam rationibus reddendis vix pares fuerimus, posteaquam tot populorum clamores, et insectationes nobis ipsis comparaverimus, ubi tandem os nostrum ostendemus? *(S. Isid. Pelus. l. 3. ep. 216. Pallad. Diac.)*

Penset Sacerdos, qui ad satisfaciendum districto judici de sua tantum anima vix sufficit, quia, quot regendis subditis præest, reddendae apud Deum rationis tempore, ut ita dicam, tot solus animas habet. *(S. Gr. P. Moral. l. 24. c. 16.)*

Etsi reddenda est ratio de his, quae quisque gessit in corpore suo, heu quid fiet de his, quae quisque gessit in corpore Christi, quod est Ecclesia? *(S. Bern. serm. ad Cler. in Conc. Rhem.)*

Aliud est, quod a Presbytero requirit Deus, et aliud, quod a laico, vel a singulis, quibusque hominibus: et licet omnium hominum opera Deus in suo examinet judicio; plus tamen ab eo exigitur, cui plus committitur. *(S. Ambr.)*

Reddituri sumus rationem non solum de nobis, sed etiam de animabus nobis commissis, nisi illis instanter annuntiaverimus verbum salutis. *(Hugo a S. Vict. ser. 23. ad Sacerd. in Synodo.)*

Veniet, veniet profecto ille dies, nec longe est, in quo Pastorum Pastor appareat, et uniuscujusque facta in publicum deducat, et qui modo subditorum culpas per Praepositos ulciscitur, tunc Praepositorum mala per semetipsum saeviens damnet. *(S. Gr. P. hom. 17. in Evang.)*

Sacerdotes populorum iniquitate damnantur, si eos aut ignorantes non erudiant, aut peccantes non arguant. *(S. Isid. Hispal. l. 3. Senten. c. 46.)*

Venient, venient ante tribunal Christi: audietur populorum querela gravis, accusatio dura, quorum vixere stipendiis, nec diluere peccata; quibus facti sunt duces coeci, fraudulenti mediatores. *(S. Bern. declam. §. 16. n. 19.)*

Quia requiret a te Dominus de ovibus suis exactissimam rationem, propter hoc irritavit impius Deum; dixit enim in corde suo: Non requiret; Deus autem per Ezechielem dicit: Ecce requiram oves meas de manu Pastoris. Dominus dicit, Requiram; impius dicit, Non requiret. Cujus putas assertio praevalebit? *(Petr. Bles. ep. 1344.)*

Non solum de vestris, sed de animabus nobis commissis in die tremendi judicii respondere tenemini, et quomodo custodiet conscientiam alienam, qui suam custodire non potest? Conscientia siquidem abyssus inscrutabilis est, non obscurissima, et tamen misero Sacerdoti, qui hanc noctem suscepit, et in cura clamatur, Custos quid de die? Custos quid de nocte? *(Idem. serm. 59. ad Sacerd.)*

De animabus populi reddituri estis rationem in die tremendi judicii pro perditione illorum, confusionis, et mortis aeternae sententiam subituri. *(Idem. serm. 55. ad eosd. Sacerd.)*

Episcopi, Presbyteri, aut Diaconi officii, si perfunctorie,

atque adulatorie res agatur, nihil apud Deum miserius, et tristius, et damnabilius. *(S. Aug. ep. 148. ad Valer. dist. 48.)*

Quam multa supplicia Episcopos manent, cum ex iis unusquisque non solum rationem redditurus sit suorum delictorum, sed eorum item omnium, quae alii commiserint, ad extremum illos venire oporteat periculum. *(S. Jo. Chr. l. 3. de Sacerd.)*

In Sacerdotali vita tum graviores tum longe plures poenae, quam in caeteris hominibus, esse possunt. *(S. Car. Bor. in Conc. Med. IV. p. 3.)*

Tantus ad Sacerdotis poenam, et cruciatum cumulus accedet, quantus prius in eum honor collatus est. *(S. Isid. Pelus. L. 2. ep. 37. Hermis. Comit.)*

Si fuissem de numero Praelatorum, essem de numero damnatorum. *(S. Hier. de Disc. Mon. c. 14.)*

Quid ei proderit non puniri suo, qui puniendus est alieno peccato? *(S. Prosp. de vit. contempl. c. 20.)*

Quid facturus est Sacerdos miserrimus, qui sentit se peccatis oneratum . . . . quidquid faciet filius doloris filiae plorationis aeternae, qui nec in se, nec in aliis ignem charitatis accendit. Certe paratus est in cibum, et consumptionem ignis. Ignis succensus est in furore Domini, et ardebit usque ad inferni novissima, deputatus est ei locus cum ardoribus sempiternis: paratus est vermis, qui non morietur. *(Petr. Bles. ser. 56. ad Sacerd.)*

Sacerdotes mali prae omnibus diabolis profundius submergentur in infernum. Vae talibus, quod unquam nati sunt. Vae quod unquam membra mea, ac Sacerdotes facti sunt; ipsi enim profundius cadunt in infernum, quam aliquis alius *(S. Birg. revelat. 4. c. 135.)*

Grave Ministris Ecclesiae appositum est onus, gravissimaque desidiosis, et malis praeparata supplicia. *(S. Laur. Iust. ser. de Eucharist. n. 21.)*

Quanto uniuscujusque major est status, tanto perniciosior est ruina, eorum maxime, qui sacrosancta Corporis, et Sanguinis Christi turpiter mysteria tractant. *(Idem.)*

Alii enim si saepe delinquant, possunt tamen ad veniam pervenire: si vero hoc magister ipse patiatur, omni satisfactione privabitur, et supplicia extrema persolvet. *(S. Jo. Chr. in c. 5. Math.)*

In judicio Dei ignis aeterni tormenta sustinebit, qui ecclesiastica decreta neglexerit. *(S. Clem. P. ep. 1.)*

Scienti legem, et non facienti eam, peccatum est grande; et servus sciens voluntatem domini sui, si non fecerit eam, vapulabit multum *(S. Ambr. de dign. Sacerd. c. 3.)*

Non enim pariter commissa in omnibus accipienda: potentes enim, ait, potenter tormenta patientur; et qui novit voluntatem domini sui, et non facit, vapulabit plagis multis. *(S. Io. Chr. hom. 27. in Matth.)*

Major scientia majoris fit poenae materia; propterea Sacerdos eadem cum subditis peccata committens non eadem, sed multo graviora patietur. (*Idem. hom. 77. ad Pop. Antioch.)*

Plus ab eo exigitur, cui plus committitur; ampliores enim poenas luit, cui numerosior regendorum populorum fuerit cura commissa. *(S. Ambr. l. de dign. Sacerd. c. 3.)*

Longe majus supplicium a principe, quam a subditis exiget Deus. *(S. Io. Chrysost. l. 6. de Sacerd. c. 11.)*

Non tam enim quasi homo simpliciter, sed ut Filius Dei peccans severius punieris, et ipsa excellentia dignitatis majoris tibi fiet causa supplicii. Si enim ille, qui paradisi sortitus fuerat habitaculum. propter unum utique delictum tanta post honorem pertulit mala, quam nos veniam sperare poterimus, si ad serpentem curramus post columbam. *(Idem.)*

Quomodo feruntur ea a nobis post mortem, quae tunc ferenda erunt, cum nos videlicet pro iis singillatim omnibus, qui nobis concrediti fuerit, rationem reddere cogemur. *(Idem.)*

Ipsi vigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri. Hujus comminationis terror animum mihi assidue concutit. Nam si est, qui unum aliquem dumtaxat offenderit, expedit ut mola asinaria suspendatur a collo ipsius ac demergatur in profundum maris. Item si quis fratrum suorum conscientiam offenderit, ii omnes in ipsum Christum peccant. Qui non unum, non duos, non tres tantum, sed tam multos etiam populos perdiderint, illis quid tandem continget, ac quamnam illi poenam sunt pensuri? *(Idem.)*

Hoc interest inter unumquemque vestrum et nos, quod vos pene de vobis solis reddituri estis rationem, nos autem et de nobis et de omnibus vobis; ideo major est sarcina, sed bene portata majorem gloriam comparat, infideliter autem gesta ad immanissimam praecipitat poenam. *(S. Aug. l. 50. hom. 25.)*

Tradentur aeterno cremandi incendio inutiles, et infru-

ctuosi, eorum vero cultores majora luent supplicia: his vehementer Dominus comminatur in Evangelio, dicens; Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis. *(S. Laur. Iust. de compunct. et contempl. Christ. perfect. n. 15)*

Sacerdos, pensemus negotium nostrum, pensemus pondus, quod suscipimus, facimus nobis quotidie nationes, quas cum Iudice nostro habebimus. *(S. Gr. P. hom. 17.)*

Parcite obsecro Fratres, parcite animabus vestris: horrendum cavete periculum, ignem, qui paratus est, declinate, *(S. Bern. de Conc. ad Cler. c. 29.)*

O Lucifer nove, qui per status tui sublimitatem es de Coelo coelestis! time ne cum primo Lucifero cadas, et in stagnum ardens cum ipso tandem detrudaris *(Quid. Auct.)*

Tu qui dives es de Coeli thesauris time ne abutens illis, cum divite moriens in inferno sepeliaris. *(Idem.)*

O tu, cui commissa sunt pretiosissima Sacerdotii talenta, time ne cum servo inutili projiciaris in tenebras exteriores, ubi erit fletus, et stridor dentium. *(Idem.)*

Fidem certe noscit pravus Sacerdos, et comminanti fidei resistit: gratiis cumulatur, et gratiae trahenti obedire renuit. Obcoecatur, induratur et in obcoecatione sua, ac induratione moritur, judicatur, itque tandem in locum tormentorum. *(Idem.)*

Si quum augentur dona, rationes etiam donorum augeri compertum est, quanta a nobis exiget in districto judicio Deus, qui tanta nobis donavit. Quae igitur, et quanta unusquisque nostrum a Domino acceperit, sedulo consideremus; quae, et quanta vicissim de acceptis lucra retulerit, trepidi cogitemus; qua enim hora non putamus, Filius hominis veniet, in cujus tremendo judicio ab iis, quibus plus datum est, plus etiam requiretur. *(Idem.)*

Nos autem, excepto quod Christiani sumus, unde reddemus rationem Deo de vita nostra, sumus etiam Praepositi, unde rationem reddemus de dispensatione nostra. *(Apud Concil. Aquisgran. XXVI. c. 12.)*

Formidolosa valde, et tremenda haec sententia Sacerdotibus est, qua dicitur: Sanguinem autem ejus de manu tua requiram. *(Conc. Paris. VI. a. 828. l. 1. c. 5.)*

Nec enim solum pro delictis nostris reddemus rationem, sed pro omnium, quorum abutimur donis, et nequaquam sumus de eorum salute solliciti. *(Idem. c. 12.)*

Grandis dignitas Sacerdotum, sed grandis ruina si peccent, *(Conc. Paris. VI. a. 828. l. 1. c. 12.)*

Quia ergo ad sanctitatis speciem deductus Sacerdos aut verbo caeteros destruit vel exemplo. Melius fuerat profecto ut hunc ad mortem sub exteriori habitu terrena acta constringerent, quam sacra officia in culpa caeteris imitabilem demonstrarent, quia nimirum, si solum caderet, utcumque hunc tolerabilior inferni poena cruciaret. Quibus terribilibus verbis liquido datur intelligi, quod melius, satiusque fuerat Sacerdotibus negligentibus non subsistere, quam acceptis divinis officiis per reprobam vitam, pravaque exempla his, quibus prodesse debuerunt, offendiculum iniquitatis, et laqueum perpetuae damnationis existere. *(Idem. c. 4.)*

In judicio Dei ignis aeterni tormenta sustinebit, qui ecclesiastica decreta neglexerit. *(S. Clemens. P. ep. 1.)*

—

Non intres in judicium cum servo tuo, Domine. Ne avertas faciem tuam a me, sicut non avertisti faciem tuam a conspuentibus in te. Secundum multitudinem miserationum tuarum iniquitates meas dele. Effice gratia tua, ut sacrosancta Ministerii mei fideliter adimpleam, atque a te audiam: veni benedicte Patris mei, percipe regnum tibi paratum a constitutione mundi; euge serve bone, et fidelis intra in gaudium Domini tui.

CAPUT XXXVI.

De aeterna remuneratione.

—

Qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellae fulgebunt in perpetuas aeternitates. *(Dan. 12. 3.)*

Beatus quem elegisti, et assumpsisti, inhabitabit in atriis tuis. *(Ps. 64.)*

Cum apparuerit Princeps Pastorum percipietis immarcescibilem gloriae coronam. *(1. Petr. 5. 4.)*

Qui bene ministraverint, bonum gradum sibi acquirent. *(1. Tim. 3. 13.)*

Ibi mercedes, et praemia pro omnium salute suscipies, si hic pro omnium incolumitate vigilaveris. *(S. Clem. ep. 1.)*

Contemplare itaque et praemium quantum; super omnia, inquit, bona sua constituet eum. *(S. Jo. Chr. de Sacerd. l. 2.)*

Copiosam ab eo atque immensam mercedem illum expectare constabit, qui consilium, curam, cogitationem, atque operam in his suam ponet. *(Idem.)*

Quicumque in Clero es Domini portio ejus, et possessio, noli recedere de Domini possessione, ut dicas Domino: Possedisti renes meos, suscepisti me ex utero matris meæ, et Ille quasi bono servo dicat tibi: Transi, recumbe. *(S. Ambr. sup. c. 4. Eccl.)*

Gaudete, et exultate quia merces vestra non tantum magna est sicut aliorum, sed copiosa est in Coelis. *(Glos. in Matth. ap. S. Th. in Cat.)*

Nihil in hac vita, et maxime hoc tempore, difficilius, laboriosius, et periculosius Episcopi aut Presbyteri aut Diaconi officio, sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militatur, quo noster Imperator jubet. *(S. Aug. ep. 148. ad Valerium.)*

Nunquid frustra currimus? Frustra laboramus? Nunquid supra petram semen jacimus? Nunquid secus viam, an inter spinas nobis insciis semina cadant? Anxii enim sumus, et majorem in modum formidamus, ne agricultura nobis sterilis evadat. Neque hoc dico, quod verear ne in laboris hujus mercede capiam detrimentum; non enim eadem cognitione, qua agricolae, sunt verbi divini praeceptores. Siquidem agricolae post annuos sudores, et miseram illam, laboriosamque vitam, si terra aliquando pro operis in se impensis non respondeat, alius ejus damnum instaurare non potest, sed pudibundus, tristisque ab area domum ad uxorem, et filios revertitur, et, quem longi laboris mercedem petat, habet neminem; in nobis autem nihil hujusmodi usuvenit, sed licet culta terra nullum afferat fructum, dummodo nos nullum subtraxerimus laborem, et ejus et noster Dominus vana nos spe dimissos non frustratur, sed remunerat; Unusquisque, inquit, propriam mercedem accipiet secundum proprium laborem, non secundum rerum eventum. *(S. Jo. Chrys. hom. 12. in c. Joan. I.)*

Accipiant sustentationem necessitatis a populo, mercedem dispensationis a Domino, non enim est idoneus populus reddere mercedem illis, qui sibi in charitate Evange-

lii serviunt. *(S. Aug. ser. 46. de Pastoribus in Ezechiel. c. 34.)*

Cum populus electus describeretur, scorsum quodammodo posuit Deus illud sacrum, selectumque genus, neque in eodem cum aliis ordine haberi permisit, sed locum illi quodammodo praestantiorem reservavit, cum Moysi dixit; Vide Tribum Levi, non simul recensebis numerum ipsorum, et non sumes in medio filiorum Israel. Egregia namque sors est Sanctorum, eorumque dotes eximiae, ac fortasse etiam in libris aliis descripti sunt; neque enim unum modo librum vidit B. Daniel, sed, ut ipse scribit, judicium sedit, et libri aperti sunt. Igitur pro uniuscujusque mensurae ratione fit descriptio. *(S. Cyril. Alex. de adorat. in spiritu, et verit. l. 13.)*

Magnus vere eorum locus in regno Dei, et bonum sibi; sed, qui bene ministraverint, gradum acquirent. *(S. Bern. declam. c. 11.)*

Hic omnium fidelium Catholicorum honorantur ut capita, ibi Christi, qui est Sacerdotum omnium caput, clariora membra futuri sunt. *(S. Prosp. seu Julian. Pom. l. 1. de vit. contemp. Sacerd. c. 13.)*

Ait illi: Euge serve bone. In modico servus est fidelis, qui non adulterat verbum Dei, sed sicut ex Deo coram Deo in Christo loquitur. Quidquid enim in praesenti percipimus donorum, in comparatione futurorum perpaucum est, et modicum, quia ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus; cum autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est. Civitates autem decem, sunt animae per legis verbum ad gratiam Evangelii venientes, quibus tunc jure glorificandus ille praeponitur, qui eis pecuniam verbi digne Deo commodaverit; unde quidam negotiator egregius civitates, quibus præerat, hoc est, animas, quas regendas acceperat alloquens; Quae est, ait, nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriae? Nonne vos ante Dominum Jesum. *(V. Beda in Luc. c. 19.)*

Qui bene praesunt Presbyteri, duplici honore digni habentur, praecipue eminentiae singularis gloria sempiterna. *(Petr. Bles. ser. 60. ad Sac.)*

In extremo judicio Petrus cum Judaea conversa, quam post se traxit apparebit, Ibi Paulus universum, ut ita dicam, mundum ducens. Ibi Andreas post se Achajam. Ibi Joannes Asiam, Thomas Indiam in conspectum sui Judicis conversam ducent. Ibi omnes Dominici Gregis Arietes cum

animarum lucris apparebunt, qui sanctis suis praedicationibus Deo post se subditum gregem trahent. *(S. Gr. P.)*

Considera te de paucis, et electis effectum, et ne exemplo, ac tepore multitudinis refrigescas: sed vive ut pauci, ut cum paucis inveniri merearis in regno Dei; multi enim sunt vocati, pauci vero electi: et pusillus est grex, cui complacuit Patri haereditatem dare. *(Cassian. Collat. 3. c. 7.)*

Euge, serve bone, converte peccatores, fideliter labora in vinea Christi, et Dominus vineae, et princeps pastorum obviam tibi veniet, et imponet capiti tuo immarcescibilem gloriae coronam. *(Quid. Auct.)*

Fideles servi, et prudentes, quos constituit Dominus super familiam suam, mellifluis Jesu Christi promissionibus consolamini, quibus Apostolos ad pugnam, et ad labores excitabat, et quibus vosipsos ad contemptum mundi, ad certamina, et ad gloriae desiderium inflammat. Vos qui reliquistis omnia, et secuti estis me, centuplum accipietis, et vitam aeternam possidebitis. Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quae vobis in Coelo a constitutione mundi sunt praeparata. Beati estis, cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint propter me; vos enim benedicemini a Domino, qui fecit coelum, et terram; jam omnes, qui viderint vos, cognoscent, quia estis vos semen, cui benedixit Dominus. Festinate hanc a Domino accipere benedictionem; venient vobis cum illa pariter omnia bona.

Gaudete, et exultate, Ministri Domini, et fideles mysteriorum Dei dispensatores, qui digne ambulantes vocatione, qua vocati estis, multum laborastis, et exhibuistis corpora, animosque vestros hostiam viventem, sanctam, placentem, rationabile obsequium vestrum. Scitote quia labor vester non erit inanis apud Deum; erit siquidem merces vestra copiosa in Coelis, quandoquidem ipse Deus erit retributio vestra.

Gaudete, quia ut veri homines Dei, et boni milites Christi, fortes in fide, legitime certatis; sedebitis in throno, quia vincitis; justitiae coronam percipietis, quia zelo zelati non facitis animas vestras pretiosiores quam vos; dummodo cursum vestrum consumetis, et fidem servetis, sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel, quia Christum sequentes, et dealbantes stolas vestras in sanguine ejus, plantatis Ecclesiam ejus sanguine vestro.

Gaudete, Angeli, et Coadjutores Domini, qui in opere, et sermone potentes, datis plebi ejus scientiam salutis; fulgebitis sicut stellae in perpetuas aeternitates, quia erudiitis multos ad justitiam, eosque Illi lucrifacitis; tanto copiosior, et eminentior erit merces vestra, quanto pretiosior est anima sanguine Ejus redempta: fervidi estote, et in sacro ministerio, ad quod assumpti estis, usque in finem perseverate.

Gaudete, fideles Christi discipuli, qui cum eo in tentationibus permanetis, et qui patimini propter justitiam: immarcescibilem percipietis gloriae coronam, quam vobis Princeps Pastorum promittit; scitote, quia Ipse potens est depositum vestrum servare in illum diem, justus Judex; confortamini interim, fortes estote in bello, et pugnate cum antiquo serpente.

Gaudete, et exultate, socii passionis Christi, qui nunc lugetis, quoniam consolabimini; gaudete, quia nunc, abnegantes vosmetipsos, ac vestram crucem tollentes, bibitis laeti calicem, quem Ille bibit; cohaeredes ejus eritis, in gaudium ejus intrabitis; lacrymas ab oculis vestris absterget; jam non erit amplius neque luctus, neque clamor; priora transibunt; in aeterna exultatione metetis, quod nunc in lacrymis seminatis; inebriabimini ab ubertate domus ejus, et torrente voluptatis ejus potabimini; gaudium vestrum nemo tollet a vobis; ecce quomodo momentaneum hoc, et leve tribulationis vestrae, aeternum gloriae pondus operabitur in vobis; gustabitis, et videbitis, quam suavis sit Dominus, et quam bonus his, qui recto sunt corde, et qui pro ejus gloria laborant, ac propter justitiam patiuntur.

Quis ad haec audita non inardescat? Convertere, anima mea, convertere in requiem tuam; vide quid sit inter justum, et impium; inter servientem Deo, et non servientem; inter fideles Christi Ministros, et inter tepidos, ac malos. Quidni ergo satagas esse in omnibus fidelis Christi Minister? Nonne scis regnum Coelorum vim pati, et solos violentos rapere illud? Nonne audiisti, paucos esse Sacerdotes, qui salvi fiant? Quare? sive quia non ambulant digne vocatione, qua vocati sunt, bonum non operantur, nec secundum supernorum luminum mensuram, quibus illustrantur, nec secundum altiorem gradum, ad quem provecti sunt, nec secundum majora gratiarum dona, quibus ditantur; sive quia fere omnes impinguati, dilatati in ho-

minum labore non sunt, et cum hominibus non flagellantur; vivunt vero secundum carnem, et parum sunt de sua, et aliorum salute solliciti. Nonne et tu, anima mea, ex illis es? Quomodo speras, te in hanc gloriam esse intraturam, in quam Apostoli, et ipse Christus non intrarunt, nisi patiendo, laborando, et animam pro ovibus suis ponendo? Vis ergo corona vitae donari? ministerium tuum perfectissimo, quo poteris, modo imple; esto fidelis usque ad mortem, et Christus Dominus tibi in promissis fidelissimus erit.

Quis ergo, o Jesu mi dulcissime, quis mihi det, ut mundo, ubi nihil est nisi vanitas, et afflictio spiritus, renuntiem, ut te Deum meum, et omnia possideam? Quis mihi det, ut propter te quoad vixero, mortificer tota die, ut compatiens, conglorificer? Quis mihi hoc tribuat, ut zelans zelum legis, et animarum, sicut Elias, Apostoli, aliique Pastores juxta cor tuum sicut illi in Coelum recipiar, et Te facie ad faciem videam? Hoc quidem volo, sed perficere non valeo. O Jesu, fortitudo mea, da mihi gratiam, ut deinde des mihi gloriam.

CAPUT XXXVII.

Pia ad Ecclesiasticos Exhortatio.

En genus electum, regale Sacerdotium, Gens sancta, et Populus acquisitionis, en virorum Ecclesiasticorum regula, et ad vitam via: quicumque ergo hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, et misericordia.

Itaque volumen istud comedite, hoc conferentes in corde vestro, ut abnegantes impietatem, et saecularia desideria, sobrie, et juste, et pie vivatis in hoc saeculo, expectantes beatam spem, et adventum gloriae magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi. Haec omnia facientes, et vosmetipsos salvos facietis, et eos, qui vos audient. Pax, quae exuperat omnem sensum custodiat intelligentias vestras, et corda vestra in Christo Jesu; ita ut, in charitate radicati, et in fide confirmati, abundetis, et crescatis per omnia in Illo. Si laici, imo et fratres vestri detrahant vobis, quoniam bonitatem, et viam arctam sequimini, vestramque derideant simplicitatem, viriliter agite, et con-

fortetur cor vestrum; hi enim quaecumque ignorant, blasphemant. Date operam, ut nemo vos seducat inanibus verbis, quin etiam, qui sanctus est, sanctificetur adhuc. Memineritis, eos tantum salvos fieri, qui usque in finem perseveraturi sunt. Sic ergo currite, ut comprehendatis, ne jure in vos jaciatur illud: *hic homo coepit aedificare, et non potuit consumare; hic est filius Ephrem, qui intendens, et mittens arcum, conversus est in die belli.* Quid Judae proditori bene incoepisse profuit? Discite hoc exemplo fideles esse usque ad mortem, et dabitur vobis corona vitae. Nos vero confidimus quidem hoc ipsum, quia qui incoepit opus bonum, usque in diem Christi Jesu perficiet. Sed et vos cavete, ne vobis ipsis sapientes, gratiam Dei in vacuum recipiatis; efficiamini vero sicut parvuli, ut vos exaltet in tempore visitationis; et cum ille apparuerit Princeps Pastorum, immarcescibilem hanc gloriae coronam percipietis.

Utinam, Fratres dilectissimi, sustineatis modicum quid insipientiae nostrae; non ut confundamus vos, haec scripsimus, sed monuimus tantum, ut, cum sitis Ministri Christi, fiatis conformes imagini ejus; et, ut, sicut ille ambulavit, ita et vos ambuletis. Attamen, cum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite: *servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus; non nobis Domine, non nobis; sed Nomini tuo da gloriam;* quando enim ipse Deus coronabit merita nostra, dona sua, ut recte loquitur S. Augustinus, coronabit. Quis se non humiliet? quis non det gloriam Deo, ut ejus misericordiam in aeternum cantare possit? Dominus noster Jesus Christus, qui est fons omnium bonorum, tales faciat Sacerdotes, quales descripti sunt.

—

Domine Jesu, qui dixisti: ubi sum ego, illic, et Minister meus erit: non fui quidem fidelis servus, et Minister tuus; quin imo fui servus inutilis; verum, o Jesu mi dulcissime, suppleat misericordia tua quidquid meae deest infirmitati; non sum dignus vocari Minister tuus, servus bonus, ac fidelis, et ita intrare in gaudium tuum. Scio tamen quia, quando coronas merita nostra, coronas dona tua; ergo corona me in misericordia, et miserationibus; inflamma cor meum, et sanctifica me, ut laetus dicere possim: cupio dissolvi, et esse tecum: educ de custodia

animam meam ad confitendum nomini tuo: amore tui, et desiderio gloriae tuae jamdudum langueo: inclytus sanctorum omnium Sacerdotum me coetus expectat, ut una cum illis misericordias tuas in aeternum cantem.

—

O piissime, o dulcissime Jesu! O Jesu Fili Mariae Virginis, plene misericordia, et pietate! secundum magnam misericordiam tuam miserere mei. O clementissime Jesu, te deprecor per illum Sanguinem pretiosum, quem pro peccatoribus effundere voluisti, ut abluas omnes iniquitates meas, et in me respicias miserum, et indignum Ministrum tuum, humiliter veniam petentem, et hoc Nomen Sanctum Jesu invocantem. O Nomen Jesu, Nomen dulce! Nomen Jesu, Nomen delectabile! Nomen Jesu, Nomen confortans! Quid est enim Jesus, nisi Salvator? Ergo Jesu, propter Nomen Sanctum tuum, esto mihi Jesus, et salva me: ne permittas me damnari, quem tu de nihilo creasti, tuumque Sacerdotem elegisti. O bone Jesu! ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua. O Jesu dulcissime! recognosce quod tuum est, et absterge quod alienum est. O benignissime Jesu! miserere mei, dum tempus est miserendi, ne damnes me in tempore judicandi. Quae utilitas in sanguine meo, dum descendero in corruptionem? Non mortui laudabunt te, Domine Jesu, neque omnes, qui descendunt in infernum. O amantissime Jesu! O desideratissime Jesu! O mitissime Jesu! admitte me in numerum electorum tuorum intrare. O Jesu! salus in te credentium. O Jesu! solatium ad te confugientium. O Jesu! dulcis remissio omnium peccatorum. O Jesu! Fili Mariae Virginis, infunde in me gratiam, sapientiam, charitatem, castitatem, humilitatem, omnesque virtutes, quibus debet esse praeditus Minister tuus: ut possim te perfecte diligere, te laudare, te perfrui, tibi servire, in te gloriari, tuamque adimplere voluntatem, ac tandem in sinu misericordiae tuae excipiar, et in coelum perducar, ac perenniter requiescam.

§. I.

Admonitiones S. Caroli Borrom. Archiep. Mediol. Ecclesiasticae vitae formam, sancteque vivendi rationem edocentes.

Primo, fratres, et filii in Christo charissimi, memores perpetuo estote vocationis, qua nos dignatus est Dominus noster.

Qua assidua recordatione, memoriaque excitati, eam vos virtutem induite, ut videant alii, quasi lumen aliquod, vestram sanctitatem elucere.

Quae si magna in aliis vitae Christianae institutis requiritur, certe in vobis, qui mysteriorum Dei ministri, divinaeque gratiae dispensatores estis, major inesse debet.

Et sicut Sacro Ordine a reliquis hominibus sejuncti estis, ita a communis fidelium vitae usu sejuncti, praecipuum quoddam, atque hoc praestantius vivendi genus sequimini, quo Ordinis dignitate praecellitis.

Coelestem in terris vitam, tamquam Angeli Dei, moribus vestris exprimere usque adeo studete, ut a vobis divinarum virtutum exempla ad caeteros emanent.

Una animi consensione, unoque spiritu in iis elaborate, ut et divino cultui, et coelestium rerum meditationibus, et orationi, et sacrarum, ecclesiasticarumque litterarum studiis vacetis; tum depositis saecularibus, vanisque sollicitudinibus ab omni vitio alieni, in via Domini recte ambuletis.

Charitatem inprimis, quae seminarium est omnium virtutum, omni studio amplectimini.

Humilitatem, mansuetudinem, patientiam, justitiam, temperantiam, officiaque Christianae pietatis reliqua colite.

Quaecumque denique sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque sancta, ac religiosa, ea cogitate, eaque agite.

Virtutes Sanctorum Patrum, quas praecipuas, et quasi haereditarias vobis ad imitationem reliquerunt, non adumbrate solum, sed omnino exprimere certatim contendite.

Utque illi, sic vos, abstinentiae, et jejuniis dediti, clericalis disciplinae ac vitae castissimae studiosi, tum patriae coelestis sitientes, Deo servite assiduis divinarum laudum officiis, et in Ecclesia, quasi in perpetua vestra Sacerdotali. Clericalique statione continenter versamini.

Quaecumque demum de muneris vestri partibus, de vita, modo, vel Pontificum sanctionibus, vel Oecumenicis Conciliis, vel Provincialibus, Diaecesanisque Synodis, vel alia ratione praescripta sunt, ea vos servate, ac praestate diligenter.

Omnes, qui canonicarum horarum officiis devincti estis, statas eas preces horarias recitate ad praescriptam Calendarii anniversarii rationem, ac ritum.

Nec vero negligenter, sed attente, pie, decore, supplicique mente illas dicite.

Studiose propterea legite, quae praesertim a Beato Antonino Archiepiscopo conscripta sunt, de negligentia in persolvendis horis canonicis, ut quae eo nomine errata sunt, omnino caveatis.

Expletis canonicarum horarum officiis, si quid in illis aut negligentia, aut alia culpa commiseritis, paullulum colligentes vos, veniam a Deo petite.

Qui Sacerdotes estis, Missae Sacrificium saepius facite, sancte ac religiose.

Ad illud faciendum parate vos omni pietate, in tam alti mysterii meditatione toto animo defixi; et quo purius id faciatis, propriam conscientiam diligenti, accurato, frequentique examine discutite; tum singulis saltem hebdomadis, atque adeo saepius, et omnino semper, cum peccati mortalis conscii estis, uni e Confessariis Sacerdotibus, ad Cleri confessiones audiendas constituto, confitemini.

In ea Sanctissimi Sacrificii actione ab erroribus, vel levissimis omnino cavete.

Quae de illo pie, riteque celebrando praescripta sunt, ea vos studiose, diligenterque servate.

Diaconi, Subdiaconi, et Clerici inferiorum Ordinum, quicumque estis, quae de confitendis saepe peccatis, de Com-

munione frequenter sumenda, vobis jussa sunt, integre, et sancte omnia, ut debetis, praestate.

Confessarios Sacerdotes, per nos vobis constitutos; quos etiam tanquam vitae vestrae duces, ac magistros elegimus, adite.

Ecclesiasticae militiae omnes vos adscripti estis; ad pietatis, religionisque exercitationes vos vocatos esse cognoscite.

In omni inprimis sancta oratione vos assidue exercete; tum in meditationis, tacitaeque piae orationis studio singulis diebus, certo temporis spatio, toto castissimi animi sensu incumbite.

Haec sanctis precibus, praeter caetera, supplices, praesertim afflictis rei Christianae temporibus, orate Patrem misericordiarum, et Deum totius consolationis.

Ut misereatur populi sui.

Ut fidelium animos ad vitia fugienda, ad virtutesque amplectendas Sancti Spiritus sui ardore inflammet.

Ut e Principium, Regumque animis evellantur, si quae sunt, discordiae semina.

Ut ii una animi consensione Christi regnum propagare studeant, unamque Dei gloriam, atque Ecclesiae matris defensionem propositam habeant.

Quicquid vero temporis a divinis officiis, ab orationis, contemplationisque exercitatione, ab Ecclesiasticis functionibus, et ab aliis necessariis actionibus vacuum habetis, non in otio, neque in desidia, nec vero in rerum novarum curiositatibus illud conterite: sed cum in sortem Domini vocati sitis, ejus legem die, ac nocte meditemini.

Sacrarum igitur literarum studia diligentius colite, quae usque adeo complecti debetis, ut qui aspernetur, contra eum dicat Dominus: Quia tu scientiam repulisti, et ego repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.

Frequenter ad statas lectiones, et ad litterarum tractationes vobis praescriptas convenite.

Attento animo in iis adeste, atque in dies ad uberiorem Sacrorum studiorum fructum progressionem aliquam habete, ut ad Episcopum aliquando vocati, et diligentiae, et doctrinae testimonium detis.

Si qui estis qui vel tarditate ingenii, vel ingravescente aetate magnum in litteris progressum habere non potestis, ne desistite tamen. Primum oratione frequenti intelligentiam eo diligentius postulate, et ad pietatis, modestiaeque

studium, ac Sanctorum morum disciplinam incumbite; tum saepius Sacerdotes peritiores consulite, et ad Clericales, Sacerdotalesque exercitationes convenite, et libentius, et frequentius.

Concionibus etiam, atque lectionibus sacris, quae in Ecclesia constitutis diebus habentur, cum omnes quicumque estis, tum maxime, quibus potissimum conciliaribus decretis jussum est, quo decet habitu, frequentissimi adeste.

Lectione librorum spiritualium, et Clericalium, qui probati sint, animos, mentesque vestras pascite.

Quatuor praesertim locos ex Catechismi Romani Doctrina, de duodecim Fidei articulis, de septem Sacramentis, de decem Praeceptis, de Oratione Dominica in promptu, atque explicate habere, omni studio contendite.

Cum iis, et Praeceptorum Ecclesiae cognitionem, et preces horarias recitandi peritiam, et Ecclesiasticorum rituum, caeremoniarumque notitiam conjungite.

Pauculos libros, quorum necessarius delectus nobis, decretis vel provincialibus, vel dioecesanis praescriptus est, habere ne omittite, aut negligite.

Qui pro facultatibus, proque studiorum ratione plures habere possunt, eorum optamus, et laudamus in iis comparandis diligentiam.

At libros de rebus jocosis, ridiculis, obscoenis, inanibus, ad poesisque prophanae studium pertinentibus, vulgari, aut latino sermone conscriptos, procul abjicite.

Nec vero musicas cantiones ridicule, voluptarie, parumque pudice exaratas adhibete.

Quotidie aliquid ex Sacris Bibliis legite; ac, si per Ecclesiasticas occupationes licet, qui apti estis, aliquid item ex Sanctorum Patrum opusculis, Gregorii Magni Pontificis, Cypriani, Ambrosii, Augustini, Chrysostomi, Bernardi, et aliorum, qui sanctitatis, et doctrinae laude in Ecclesia celebrantur.

In iis ad legendum Sanctissimum Patrem Ambrosium Episcopum vobis potissimum proponite.

Illius praecipue librum de Sacerdotali Dignitate legite, quo libro Ecclesiasticos homines commonuit de perfectae vitae institutione.

Libros item officiorum, quos, ubi primum Episcopus is factus est, Cleri Mediolanensis potissimum causa edidit, in manibus assidue habete.

Hos atque alios praeterea libros de Sacerdotalis, Cleri-

calisque vitae rationibus, et officiis, de animarum cura, de Christianae pietatis studiis, et exercitationibus, de aliisque ejusdem generis, pie confectos, ita legite, ut quaecumque ad vitae sanctae normam accommodata ex illis animadvertistis, ac didicistis, moribus exprimatis.

Conciliorum item provincialium, et dioecesanorum constitutiones, et decreta non percurrite solum, sed usque adeo studiose legite, ut quae legeritis, post etiam taciti vobiscum aliquando mente reputetis, ac videatis simul, non solum si quicquam est, quod contra illorum praescriptum egeritis, verum si quid etiam aliud est, quod ex eisdem exequi, praestareve omiseritis, aut neglexeritis. Quod ut praestetis, curate omnino, atque efficite.

Estis, Divina misericordia, in Ecclesiastico Ordine constituti ad Gloriam Dei conservandam, propagandamque, ideo tum Ordinis vestri ministerium, quod explere debetis, videte, tum dignitatem, ac decorem servate.

In incessu, statu, gestu ita vos praebete, ut ab Ordinis, quem suscepistis, nomine et ratione, nullo sane modo discrepetis, proposito vobis Beati Patris Ambrosii judicio, qui Clero adscribi hominem recusavit, propterea quod ejus gestus, et incessus dedeceret.

Habitu non exquisito, non delicato nimis, non serico, ne ornamento quidem: rursus non sordido, non neglecto, sed gravi, et talari, atque ejusmodi tum domi, tum foris pro uniuscujusque vestrum Ordinis, gradusque ratione utimini, ut a decretis eo de genere editis, nulla in re vel minima discedatis.

Coronam, quod insigne est Ordinis Clericalis, pro ratione Ordinis, quo vos singuli initiati estis, latam, et conspicuam deferte.

Parca, et frugali mensa contenti sitis, et suppellectili etiam modesta, ac tenui potius.

Ab omni splendido apparatu, pompaque saeculari abstinete.

Quaecumque acu picta, varie intexta, aulaea item, et peristromata reijcite.

Imagines domi non prophanas, sed eas habete, quae pietatis, et religionis argumentum, et adjumentum praebeant.

In omni vita a fastu, luxu, ambitu, ambitioneve, et a vanitate longe refugite.

Nec verbis quidem praescriptum vitae modum pervertite.

Nihil scurriliter, nihil jocose, nihil turpiter loquamini.
Absint a vobis maledicta, obtrectationes, curiositas, levitas, assentationes, ac nugae.
Temperantiae Clericalis disciplinam vobis praescriptam in reliquis etiam omnino tenete.
Commessationes, compotationes, convivia publica, laicaliave, tum maxime, in quibus mulieres interveniunt, evitate.
Hospites excipite: at illis excipiendis intra parsimoniae fines vos continete, ita ut Clericalis frugalitatis, non sumptuosi convivii testes illos habeatis.
A ludis, spectaculis, circulatorumque, atque id genus vilium hominum praestigiis procul estote.
Arma abjicite.
Sic denique cor vestrum corroborate, ut inania spectacula non appetat, a mundi ludis, atque ineptiis abhorreat.
Sensus autem vestros ita dirigite, ut cum a Deo utiliter dati sint tanquam rationis ministri, ne eos perperam adhibeatis sicut satellites cupiditatum.
Sit igitur vester oculorum aspectus simplex, et pudicus.
Aurium sensus castus, et prudens, casta mens, casti omnes sensus.
Vitae, et morum consuetudo casta, et spiritualis.
Ad eorum Sacerdotum, qui in ejusmodi vitae studiis, ac disciplina exercitati sunt, familiaritatem vos adjungite, ex qua nobis vestrae ad sancte agendum progressiones constent.
Ad castitatem autem conservandam munite omnem viam.
Legite propterea saepe illum Beati Cypriani Martyris de singularitate Clericorum librum, qui vos in hac, ut in aliis instruet virtutibus.
Suspectarum autem mulierum consortium omnino vitate.
Cum aliis vero quibusvis mulieribus, quamvis vel arctissimo consanguinitatis, vel affinitatis vinculo vobis illae conjunctae sint, nec iisdem domiciliis, aedibusque simul habitate, nisi cum ex causa alicui vestrum aliquando Episcopalibus litteris permissum sit.
In famulatu laicorum ne sitis, multo minus foeminarum, quamvis nobilium.
Ne vero illas musicam, litterasve docete, nisi scripta nominatim facultate ab Episcopo permissum cuiquam sit.
Aedes Ecclesiasticas ne laicis locate, nisi concessu Episcopali.

At ne ipsas quidem patrimoniales locationes iis date, quorum vita, moresve suspecti sint.

Saecularibus vero negotiis, ut est Sancti Pauli Apostoli documentum, ne vos implicate.

A cujusvis generis mercatura quaestuosa, omni negotiatione, praediorum conductione, tum aliis, ut Provinciali decreto vobis interdictum est, prorsus cavete.

Ne pecuniae, lucrive avidi sitis; nemo namque potest servire Deo, et mammonae: aut enim unum odio habebit, et alterum diliget, aut unum sustinebit, et alterum contemnet, inquit Christus Dominus.

Si qui pauperes estis, ne cupiatis divites fieri, ut ne incidatis in tentationes multas, et in laqueum diaboli.

Paupertatem vestram ne moleste ferte; paupertatem dilexit, et docuit caelestis magister Christus, qui nascens in praesepio ponitur, et nudus in Cruce moritur. Scitote paupertati socias adjungi sobrietatem, abstinentiam, et reliquas virtutes, quibus praelucere oportet Ministros Dei.

Proponite vobis Sanctorum veterum Patrum vitam, qui lucrum non spectabant, temporalia non quaerebant, et nihil iis tamen deerat: imo in paupertate illis aliquando abundabat, quod aliis erogarent.

Ne igitur quia tenuem redditum habetis, lucrum quaerite, ne quaestum vos appetendo, injuriam vestro ordini faciatis avaritiae sordibus volutati.

Non saeculi vos mercatores, non mammonae ministri estis, sed Christi mercatores: nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, sed bonorum operum abundantia, cum charitate conjuncta, facite thesauros in coelis.

Studete vos lucrari animas Deo, et caeleste borreum augere.

Exemplo Sanctorum, vos paupertate, sobrietate, ac parsimonia ita agite, ut non modo a supervacanearum rerum usibus abstinentes, sed vestro etiam defraudantes victu, Ecclesias vestras, et Altaria exornetis, sarta tecta habeatis, sacra suppellectili instruatis: alienis item necessitatibus subveniatis, et pauperibus opitulemini.

Qui vero uberiores Ecclesiasticos redditus habetis, Ecclesias, e quarum praediis fructus percipitis, eo magnificentius, et augustius, quo amplioribus donis, bonisve, augustiorique liberalitate illae dotatae sunt, illustri structura, praeclaro opere reficite, egregiisque muneribus exor-

nate, tum omni Ecclesiasticae suppellectilis apparatu instruite.

Christi visceribus substantiam Ecclesiasticam erogate, pauperibus scilicet, peregrinis, viduis, pupillis, aegrotis, in vincula conjectis, captivis; quibus egentibus, et esurientibus cum subvenire possitis, si alimenta necessaria denegatis, violatae charitatis rei estis in conspectu Domini.

Memores estote ejus, quod a Sanctissimo Patre Ambrosio scriptum est, Sua fideles eo animo obtulisse Ecclesiae Ministris, ut per eorum manus, quorum fidei, atque integritati summa omnia tribuebant, ad pauperes pervenirent.

Vos item alii, quicumque estis, quorum fidei Christi patrimonium proprie ad divini cultus, pauperumque usum commissum est, cavete, ne ambitione, aut cupiditate prolapsi in alium, quam cui addictum est, convertatis, idque propterea sacrilegii rei damnationem aeternam subeatis.

Universi autem vos, et singuli Ecclesiastici Ordinis homines, ut summatim complectamur, quae muneris vestri sunt, vobiscum frequenter recolite, ministerium vestrum explere studete. Sanctissima studia Religionis, et officii vestri rebus aliis potiora ducite. In rerum divinarum, sacrarumque cognitione omni cura incumbite; quae divina, quae sempiterna sunt, divitiarum, et bonorum, et terrenarum rerum cogitationibus abjectis, amplectamini: restincto cupiditatum ardore, integros, castosque vos servate; mundi voluptates, quae a Divinis Praeceptis detorquent, declinate: praediorum Ecclesiasticorum, quae non avaritiae praeda, sed instrumenta charitatis relicta sunt, redditu, et fructibus non abutamini; humilitati studete: charitatis opera praestate: induimini Dominum Jesum Christum, Sanctorumque ejus facta imitamini, ut et horum imitatione, et illius inprimis Divinis Praeceptis, institutisque conformati, in vocatione, qua vocati estis, digne Deo ambuletis, tum vitae vestrae splendore laicis hominibus lumen praeferatis ad vitam sancte instituendam, tum vos repositam vobis justitiae coronam demum percipiatis.

Omnes praeterea, et singuli, qui hujus Ecclesiae ministerio adscripti aliquo modo estis, et dioecesim, et Ecclesias, quas in ea obtinetis, quibusve adscripti estis, stationes vestras, in quibus manendum vobis sit, putate,

In illis ipsi residete,

Ecclesiasticas ipsas aedes habitate, ibique domicilium vestrum vere constituite, et habete.

Debitis muneribus, atque oneribus satisfacite.

Alia item agite, ac praestate ex praescripta conciliaribus decretis fructuosae, salutarisque residentiae ratione.

Quicumque item Clerici Minorum Ordinum estis, singuli, ordinis, quo initiati estis, functiones tali pietate obite, ut digni habeamini, qui deinceps altiorem gradum assequuti, sanctae Dei Ecclesiae inserviatis.

Nemo autem vestrum, quicumque estis, si alicui functioni estis deputati, ab Ecclesiastica statione, personalisque residentiae munere discedat, nisi causis per Episcopum probatis, et etiam consensu litteris expresso.

Haec, circa quae communiter, atque universe vos moniti estis, singuli servate studiose, ac diligenter.

At praeterea singillatim, nominatimque vos, qui in Cathedrali Ecclesia dignitates obtinetis, Canonici item tum ejusdem Ecclesiae, tum reliquarum quarumvis Ecclesiarum, Collegiatarum, vel Urbanarum, vel Dioecesanarum, quicumque sitis, in omni canonicalis disciplinae officio ita agite, ut canonice, nempe canonum legibus, ad vitae vestrae institutum pertinentibus, et constitutionum provincialium, dioecesanarumque rationem congruenter vivatis.

Id primo maxime studete, ut in conspectu Dei omnipotentis, puro corde, et casto corpore ministretis. Tum singuli vos, ordinis dignitati, aut canonicatui annexi functiones explete: canonicalisque muneris partes praestate.

Omnes in choro statis horis assistite, et ad Deum pro fidelibus, pias, religiosasque fundite precationes.

Dum eo loco estis, memores estote adesse Christum Jesum Dominum, cui servite cum timore, et tremore.

Non pigri, non somnolenti, non oscitantes adestote: non mente vaga, non vagis oculis, non indecenti corporis statu.

Attente, studiose, rite, religiose divinas laudes concelebrate: et psallite Deo in conspectu Angelorum, cantantes in cordibus vestris Domino.

In choro, nemo privatim, nemo tacite officium recitet; sed omnes pariter, quicumque adestis, senes cum junioribus, laudate nomen Domini in Psalmis, Hymnis, et Canticis.

A quibuscumque colloquiis, et a litterarum, ac librorum lectionibus, atque ab omni vagatione abstinete.

Pro temporis autem, et officii ratione sedete, state, genua flectite, caput aperite, et inclinate. Accurate demum omnia observate, quae eo de genere vobis praescripta sunt, ita ut vestro exemplo aliis Sacerdotibus, Clericisque, et recte, riteque psallendi, et sancte orandi, et pie agendi animum addatis. In psalmorum autem, canticorum, et hymnorum intelligentiam studiose incumbite, ut dum psallitis, pro sensuum sanctissimorum, quos mente concepistis, ratione, vos ad omnem pietatis devotionisque affectum excitetis.

Non ordinariae distributionis lucro adducti, sed Dei charitate, religionisque cultu commoti, divinis officiis adeste, ut vere, ex animoque psalmi verba illa concinatis: Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est. Divinis officiis absolutis, paullulum omnes in choro pie orate, inde abeundi signo per praefectum dato, consurgentes, quo ordine ad chorum accessistis, eodem in Sacristiam redite, ubi cappas, qui illas induti estis, et superpellicea sine strepitu ullo, vel susurratione deponite. Canonicales vestros conventus statis hebdomadae diebus capitulariter habete.

Omnes, qui debetis, ad illos convenite.

A verbis scurrilibus abstinete.

In rebus consultandis rixas, jurgia, et contumelias cavete. In initio, et fine uniuscujusque Capituli statas orationes dicite.

Priori loco tractanda proponite, quae ad divinum cultum, ad Spiritualis vitae progressionem, ad Ecclesiasticam disciplinam tuendam; tum quae ad rerum temporalium gubernationem pertinent, ne negligite.

Caetera hoc de genere toto servate, quae provincialibus constitutionibus vobis praescripta sunt. Omnia in primis agite pace mutua, concordi voluntate: et charitate fraterna vos invicem diligite. Canonici enim estis; qui sicut pro collegii ratione, ex antiquo instituto, una in Collegiata Ecclesia, unoque item in canonicali domicilio collocati fuistis, ita uno pacis, et charitatis foedere, unaque animorum consensione conjunctissimi, sicut nascentis Ecclesiae ministri, quorum erat cor unum, et anima una, experiundo videte, sicut in psalmo scriptum est: Quam bonum, et quam jucundum sit, habitare fratres in unum.

Quicumque vero estis, qui inter Canonicos, Praepositi, aut Archipresbyteri, aut alterius dignitatis nomen, gradum-

que obtinetis, sicut honore, et dignitate praestatis; ita virtutum exemplis, vigilantique in vestri muneris, curaeve partibus obeundis sollicitudine praelucete.

Parochi praeterea, et caeteri quicumque estis, etiam Praepositi, Archipresbyteri, aliive, qui animarum curam geritis, praeter ea quae vos cum reliquo Clero communia universe monuimus, illa etiam, quae praecipue de vobis decreta sunt, praestate omni sollicitudine.

In primis, oves vobis concreditae, cognoscendae sunt, et appellandae nominatim, pascendae et custodiendae item.

Parochiae vestrae incolarum vitam, et mores investigate.

Agnoscite pauperes, viduas, pupillos, caeterosque aliena ope egentes, quibus et salutari consilio, et consolatione, et re subvenite: aut sinminus re potestis, cohortatione alios accendite ad eos sublevandos.

Si quae illorum gravior inopia deposcit, festis etiam diebus a pia fidelium liberalitate aliquid in Ecclesia colligendum curate, ut ab Episcopo praescribetur, quod ipsis in eleemosynam conferatur.

Seorsum etiam locupletes parochiae incolas convenite, quibus pauperum egestates proponite, et ostendite eis divitias a Deo propterea etiam esse tributas, ut inopibus succurrant.

Pascite in primis populum vobis commissum praedicatione verbi Dei, salutaribus monitis, administratione item Sacramentorum, exemplo, et oratione.

Pueros Festis, Dominicisque diebus in Doctrinae Christianae rudimentis instruite.

Provectioris aetatis homines ad eadem intelligenda invitate.

Patres, matresque familias monete, ut filios, filias, caeterosque, quos in familia habent, ad statas Doctrinae Christianae scholas ipsi conducant.

Confratrum, qui iis scholis adscripti sunt, operam ad hoc institutum adhibete, curateque, ut mutua inter eos charitas, morumque disciplina conservetur.

Alios etiam ad tam pium opus amplectendum alacriores reddite, atque excitate, tum assiduis vestris cohortationibus, tum promulgatione thesauri spirituali indulgentiarum, iis concessi, qui iis scholis adscribuntur, in illisque operam navant.

Ne omittite diebus festis inter Missarum solemnia aliquid ex iis, quae in Missa leguntur, fidelibus exponere. et

sanctissimi illius Sacrificii mysterium aliquod explanare, et aliquando sanctiores illius sacrarum Coeremoniarum, rituumque rationes, et significationes explicare, quo diligentius instructi in dies Sacrosancto illi Sacrificio religiosius intersint.

Docete item, quomodo fideles signo Missae celebrandae dato, se corde contrito ad eam sancte audiendam parent.

Curate, atque efficite perpetuis vestris monitionum officiis, ut in illa viri capite detecto, mulieres velato, et in omni ejus parte utroque genu flexo, praeterquam in Evangelio adsint.

Instruite etiam eos, quam religiose non solum in Missae Sacro, verum etiam in Divinis aliis officiis versandum.

Quando standum, quando genua flectenda, quando assurgendum.

Quam valde, dum illa fiunt, celebranturve, fugiendae confabulationes, strepitus, clamores, imo vero inanes cogitationes, quibus a pia meditatione, et mysteriorum, quae aguntur, contemplatione, religiosaque oratione animus distrahitur: quam denique studiose vitanda reliqua omnia ab eorum officiorum sanctitate, et cultu aliena.

Rursus, quam sancte, item quam religiose, et quam demisso, humilique habitu in supplicationibus, litaniis, et stationibus versandum sit.

Qua reverentia, quove pietatis studio in Ecclesiis, locisve sacris manendum sit, quaeve ab illis procul abesse debeant, idque ex sanctionibus Pontificiis, Constitutionibus Conciliaribus, Episcopalibus praeterea Edictis.

Qua etiam, non solum intima religiosi animi praeparatione, sed externa etiam cultus, vestitusque modestia, humili genuflexione, et armis depositis, ad sanctissimam Communionem, tum etiam ad caetera Sacramenta accedendum sit.

Tum docete, ac monete, quomodo dies festi colendi, et sanctificandi sint.

Ostendite, indignissimum esse, sacris illis diebus, non modo a nefariis operibus illicitisque negotiis non abstinere, verum etiam religionis, ac pietatis opera non praestare omni diligentia.

Ac praeterea nefas esse Sacros dies ad maxima Dei beneficia recolenda, summasque ei laudes persolvendas, ac debitum Sanctis honorem tribuendum institutos, ad illa traduci, quae ab eo cultu abhorrent, qualia sunt tripudia, lu-

di, choreae, spectacula, quibus, ad turpes illecebras incitantibus salutis humanae hostis diabolus oblectatur.

Denunciate item stata sacrorum temporum jejunia: docete quomodo jejunandum, quae peccati gravitas in violandis sacris jejuniis.

Quae praeterea Christianae pietatis officia in Sanctorum vigiliis.

Quam sancte observandum Quadragesimale jejunium.

Statis autem solemnibus, vel Adventus, vel Septuagesimae, vel aliorum temporum celebritatibus, praemonete fideles, atque diligenter ex pastoralium etiam litterarum praescripta recitatione, ac ratione instruite ad sacra illorum temporum mysteria, sanctis pietatis officiis religiose colenda.

Utque iis omnibus, pro temporum, solemnitatumque ratione, illi instrui possint, saepe monete, ut Dominicis, aliisque Festis diebus, quemadmodum sacra Tridentina Synodus optat, ad parochialem Ecclesiam conveniant.

Qua in re saepius monitionem pastoralem de eo genere frequenti populo legite.

Saepe autem, ac diligenter eosdem docete, quam assidue orandum sit.

Quomodo et tacita supplicis mentis meditatione, et piis statis orationibus precandum.

Quam studiose, ac religiose suscipiendum vespertinae communis orationis institutum: quam diligenter illud semel susceptum, retinendum.

Quam saepissime vero sermonibus vestris populo proponite locos perpetuae Christianae meditationis, de Morte, de Judicio, de Inferno, de Gloria, et de Praemio Paradisi. Monete praeterea sedulo, ac frequentissime patres, matresque familias, ut liberos, familiamque suam ad pietatis, Christianarumque virtutum disciplinam religiose instituant.

Ad hoc propterea patres familias inducite, ut de vitae spiritualis ratione, et piis exercitationibus libros probatos domi suae habeant, in quorum lectione versentur, seseque, ac familiam instituant ad sancte agendum.

Tum alia praeterea docete, quae opportune existimaveritis, quibus illi se, suamque familiam in Christianae vitae institutis, atque exercitationibus conforment.

In officinis etiam, et tabernis, disciplinae, vitaeque Christianae rationem observate; si quid autem vel ab artificibus, vel ab institutoribus, operariisve committi animadver-

teritis, quod disciplinae sit, id officinarum, tabernarumque dominos graviter monete, ostenditeque ea in re officii sui partes.

Estis participes, et socii laborum, curaeque Episcopalis, et in messe Episcopo commissa operarii estis: elaborate una cum eo, et contendite, ut populus, cujus curam geritis, tanquam purum triticum, auxiliante Divina Misericordia, congregetur in horrea caelestia.

Depositum custodi, inquit, B. Apostolus. Id quod vobis singulis dictum esse putate, ut in grege, tanquam deposito, fidei, curaeque vestrae commisso diligenter custodiendo, ab omnique peccati labe conservando, cogitationem, sollicitudinem, curam, studiumque omne collocetis.

Parochiae igitur unicuique vestrum concreditae viciniam, cum a caeteris vitiis omnibus vos singuli sollicite custodite; tum curate etiam ne odia, simultates, inimicitiae, factiones, nec non temere jurandi, maledicendi, imprecandi pravae consuetudines, ac ne detractiones quidem in ea sint.

At vitia in primis, et peccata, ad quae populum procliviorem esse animadverteritis, reprehendite, atque exagitate.

Nec vero dissimulate peccata, sed annunciate populo scelera ejus: publice peccantes coram omnibus arguite, ut et alii timorem habeant.

Idque agite spiritu fortitudinis Domini, et ut strenui ejus milites, bonam militiam militate, nihil plane trepidantes. Si ab increpatione, ut vos monet Sanctus Gregorius, reticueritis, quia contra odia insurgere reformidatis, non jam Dei lucra, sed vestra quaeritis.

Non maledictis, non vexationibus, non calumniis, non alicujus generis contumeliis illud, vel increpandi, vel palam arguendi officium deserite, modo Christi gloriae, et animarum saluti serviatis.

Rursus non occupandae hominum gratiae studio id agere desistite. Servus Dei non essem, si hominibus placerem, inquit Apostolus.

Vae vobis tacentibus, aut dissimulantibus, si grex curae vestrae commissus perierit, sanguinem ejus de manibus vestris requiret justus, et omnipotens Deus.

Si igitur peccator: ne in increpationibus verba vestra blandientia sint: sed, ut a Spiritu Sancto scriptum est: Stimuli sint, et quasi clavi in altum defixi.

Instate opportune, importune privatis etiam admonitio-

nibus, consiliis, correptionibus, objurgationibus, ut peccantes, adjutrice divina gratia, in viam salutis evocetis. In usum etiam sancte ita revocate fraternam correctionem, ut non modo mutua Christiana charitate vos ipsos corripiatis, sed reliquos item, praesertim parochiae incolas id charitatis, et correctionis officium recte doceatis.

Ad sermonum vero, admonitionum, correctionum partes explendas, locos vobis comparate praecipue ex Doctrina Catechismi Romani, in quo magna cum populorum vestrorum salutari utilitate versari diligenter potestis.

Neque ad hoc multiplicis vestrae Ecclesiasticae tractationis genus negligite adjumenta, quae aliunde utiliter capere potestis.

Caetera autem officia, quae in Sacramentorum administratione, in assidua ad frequentem eorum usum cohortatione, in aegrorum cura, in aliis parochialis muneris functionibus, vobis Provincialibus, Diaecesanisque Conciliis praescripta sunt, praestate, atque exequimini accurate; ad earumque conciliarium constitutionum, decretorumque normam, omni observantiae, atque obedientiae studio vos plane conformate.

Quae vero decretorum Provincialium, vel Diaecesanorum partes ad laicos, eorumque Christianam disciplinam attinent, quo saepius evulgatae, atque inculcatae serventur diligentius, illas, summatim vulgari sermone expressas, crebro, prout usu venerit, populis vestris proponite, denunciate, explicate, atque in consuetudinem inducite.

Quaecumque denique vel ad vos, vel ad laicos curae vestrae commissos, pertinent, ea decreta, quo maximo potestis, studio, in omnem executionem, disciplinaeque usum introducite.

Videteque in primis, ac perpendite, quae sint, et quam religiosae muneris vestri partes: caveteque ut in officiis, et curae vestrae functionibus non modo quicquam vos non committatis, sed ne omittatis quidem: cum in Sacerdotali vita, pro muneris, quod sustinetis, ratione, tum graviores, tum longe plures, quam in caeteris hominibus esse possint, omissionis culpae.

Vos praeterea reliqui Sacerdotes, quicumque estis, quibus Animarum cura non incumbit, cum alia omnia, quae Ecclesiastici Ordinis hominibus de divinorum officiorum cultu, de vitae honestate, et studiis, et vitae spiritualis exercitationibus, praescripta, aut monita generatim sunt,

tum quae nominatim, singillatimque ad praecipuam vestram executionem attinent, praestate omnino.

Vos item reliqui Clerici inferiorum Ordinum, quaecumque ad vos vel nominatim, vel generatim spectant, agite omnia, sicut Clericalis vitae ratio Canonum, et Conciliorum decretis praescripta postulat.

Christi estis, nempe de sorte Domini et ipse Dominus sors, pars scilicet vestra. Tales praebete vos, ut et ipsi possideatis Dominum, et possideamini a Domino, vereque dicatis, Dominus pars haereditatis meae.

Filii mei, nolite negligere: vos elegit Dominus, ut stetis coram eo, et ministretis illi.

Videte igitur, quam valde intentos vos esse oporteat ministeriis vestris, et quam magna vitae, morumque castitate.

Proborum hominum tantum, praecipue Sacerdotum vitae spiritualis laude praestantium, familiaritate utamini; ex quorum consuetudine tum fructus vos capiatis, tum Episcopus meliorem in dies de vobis opinionem concipiat.

Majores vereamini, et observate: eisdemque recte monentibus obtemperate.

Praeter latinae linguae, et litterarum studia, Ecclesiasticae in primis disciplinae institutionibus diligenter incumbite.

Sic demum vos moribus, et vitae modestia probate, ut et a Parochis, et a Praeceptoribus vestris, tum etiam a populo bonum testimonium Episcopus habeat, vosque dignos judicet, quos majoribus Ordinibus adscribat.

Vos, qui vel visitationis munus geritis, vel Clericalis disciplinae curae quovis nomine Praefecti estis, vel in Dioecesi Vicarii Foranei constituti, in explendis muneris, atque officii vobis commissi partibus sedulo invigilate, atque elaborate.

Onus, quod sustinetis, quam grave sit, quam plenum curis perpendite; tum quam in eo vobis committendo spem, fiduciamque Episcopus habuit, videte, tum efficite, ut ejus expectationi respondeatis, vigiliarum vestrarum studiis, assiduaque solicitudine.

Ecclesias, quae in uniuscujusque vestrum regione sunt, sedulo visitate, earumque partes singulas inspicite.

Pervestigate in uniuscujusque parochiae finibus, an aliqua publicorum peccatorum labes, an flagitia, quibus Episcopali cura Episcopus medeatur, necesse sit.

Universo Clero, pro regione commissa, invigilate diligenter, illudque in primis videte, ut in disciplinae Ecclesiasticae moribus, institutis, atque officiis se contineat, Clericalisque moderationis legibus congruenter vivat.

Indecentem ejus habitum omnino reijcite: morum sanctae vitae, Sacrarumque litterarum, et institutionis Ecclesiasticae studia, si quae in eo languescunt, excitate.

Clerici autem Minorum Ordinum, in hoc maxime vobis commendati sint, ut illorum omnes, tum in vitae moribus, tum in litterarum, Ecclesiasticaeque doctrinae studiis progressiones accurate exploretis, atque ut maxime potestis, paternis cohortationibus, atque objurgationibus, iisque assiduis adjuvetis.

Ecclesiarum item cultum, et nitorem, caeteraque ejus generis omnia curate vestra diligentia, quae totis in Christo visceribus ab unoquoque vestrum expetitur.

Haec omnia, et singula his monitionibus nominatim, singillatimque expressa, tum cuncta item reliqua, vel Conciliis Provincialibus, Dioecesanisque sancita, vel alio modo vobis praescripta, vos omnes, ac singuli, quorum interest, quanto potestis amore, et pietate, non amplectimini solum, et legite, sed mente, animoque comprehendite, servate, omnique sollicita executione praestate, totosque vos ad cohortationum, admonitionum, decretorum, et constitutionum rationem accommodate.

Quod omne ut faciatis, sicut, nos pro Episcopalis nostri officii munere, vos in hoc Dioecesano conventu ex Concilii Provincialis praescripto commonefecimus: ita etiam unumquemque vestrum, per unigeniti filii Dei adventum, per ejus Crucem, perque animarum vestrarum salutem obsecramus, obtestamur, divinaque contestatione monemus, rursusque vobis ipsis universis, et singulis edicimus. Si quis vestrum constitutionibus, decretisque, vel Provincialibus, vel Dioecesanis, vestra causa non paruerit, contra eum nos acturos esse Ecclesiasticis, Canonicisque sanctionibus.

Cavete igitur, ne quem vobiscum paterne modo agentem, solliciteque monentem, et in conspectu Dei vos hoc sacro loco deprecantem auditis, eumdem rursus non in hac vita solum culpas vestras animadvertentem, sed in divino praeterea judicio easdem accusantem audiatis.

At ipse Deus, et Pater noster, et Dominus Jesus Christus dirigat vias vestras in omni sancta obedientia: exhor-

tetur corda vestra, et confirmet in omni opere, et sermone bono ita ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, per omnia ei placentes: sicque, sanctis vestrarum virtutum progressionibus probati, appareatis ante Deum, et Patrem nostrum, in adventu Domini nostri Jesu Christi, cum omnibus Sanctis ejus. Amen.

DE ORATIONE MENTALI

In omni actione nostra induamur justitia: erigamus igitur animos, et corda nostra devote ad Deum: et ab eo interna mentis oratione haec religiose precemur.

1. Ut impleamur agnitione voluntatis ejus in omni sapientia, et intellectu spirituali, digneque ambulemus vocatione, qua vocati sumus; ita ut in omni opere bono nos fructificantes, et crescentes in scientia Dei, quotidie perfectionem, justitiam esuriamus, et sitiamus.

2. Toto cordis affectu orate: ut in omnibus operibus Dei veloces simus; nec fastidiose, sed graviter, ac strenue in vinea ejus laboremus. Scriptum est enim: *Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter.*

3. Toto cordis affectu orate, ut spiritu ambulemus: desideria carnis nunquam perficiamus: affectus pravos perpetuo deseramus; *semper mortificationem* Jesu Christi in corporibus *nostris circumferentes*, usque adeo, *ut vita ejus manifestetur in corporibus nostris.*

4. Toto cordis affectu orate; *ut quae sursum sunt, ubi est Christus Dominus, in dextera Dei sedens*, quaeramus, et sapiamus: *omnia vero Mundi hujus tamquam stercora arbitrantes*, abundemus in divitiis simplicitatis, bonaeque conscientiae, et opibus gratiae.

5. Toto cordis affectu orate: ut in omni humilitate, et mansuetudine ambulemus: ut solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, et Christi Domini *jugum suave, et onus leve* patienter portantes, demum haereditemus caelestem Terram viventium, et in multitudine pacis aeternae delectemur.

§. II.

Regulae recte vivendi a B. Gregorio S. R. E. Cardinali Barbadico Episcopo Patavino Viris Ecclesiasticis traditae.

1.

Sicuti quemlibet Ecclesiasticum decet post septem, aut ad summum horas octo a quiete surgere, ita cuilibet valde consultum erit, illico vigilans ad Deum mente assurgere aliquid orans, scilicet: *Jesu Fili Dei miserere mei.*

2.

Dum vero sibi vestes induit, aliquid oret oportet, ut puta, Orationem Dominicam, una cum Angelica salutatione, ter in SS. Trinitatis honorem, vel quinquies in memoriam totidem Christi Jesu plagarum, recitando. Postquam enim fuerit decenter indutus, genua submittat oportet, aut in proprio cubiculo, aut alio, (ad removendam distractionum occasionem, quantum fieri potest) solitario loco, debitas Deo de cunctis beneficiis gratias agere, ejusque auxilium, et opem deprecari.

3.

Cum autem ad mentalem non modo, sed quamcumque aliam, quoque vocalem, Orationem recte peragendam, alicujus ordinis observantia, vel forma valde conducat; opus idcirco est usu frequenti, quinque sequentes actus exercere.

1. Ponere se coram Deo, vivaque eum fide, profundoque obsequio adorare, ipsumque Dominum, ac Redemptorem nostrum confiteri; cui debitus est omnis honor, a quo bonum omne procedit.

2. Omnium beneficiorum divinae majestati gratias agere, quod ad suam nos imaginem, et similitudinem creavit, atque a tot, tantisque periculis, quae omni tempore nobis imminent, praeservavit: quin etiam inter Ecclesiasticos connumerari nos quoque voluerit speciali privilegio; spatium nobis poenitentiae, et optandae adeo veritatis lumen impertiens.

3. Cujuscumque operis, aut omissionis culpae, non so-

lum verbo, ac opere, sed et corde conceptae, humillime veniam petere, magno cum animi dolore recolendo divinas offensas, firmiterque proponendo, per sanctissimam ipsius gratiam, nunquam de caetero adversus Deum delinquere, qui, summum cum sit Bonum, toto cordis, ac mentis affectu diligendus est, eique fidelissime obtemperandum.

4. Omnes vero cogitationes, verba, et opera, non modo die isto, sed toto vitae tempore proferenda, Deo fideliter offerre: recto corde profiteri, quod omnia ad honorem Dei dirigantur; tum etiam velle nos Divinae Majestatis gloriam, eo quod ab omnibus creaturis benedici, eique fidele praestari obsequium divinae exigat ratio bonitatis.

5. Denique ob merita Christi Jesu, ac Deiparae Virginis, opem, et gratiam a Domino flagitare semper ab omni malo declinandi, ac praecipue de Divina ejus adsistentia ipsum deprecari, non solum ad servandum se immaculatum ab hoc saeculo pro praesenti die, sed et cum explicita intentione bene vivendi per totum vitae tempus, sancteque moriendi.

4.

Quantum maximopere juvat, tantumdem convenit, post devotas voluntatis conformationes, sanctaque proposita, mentaliter, saltem per horae medietatem orare: et haec oratio opus est, ut fiat ex methodo, animique applicatione, quam nos edocent spiritualis vitae Praeceptores: ac sane omnimode exigit tam exquisita, et meritoria actio.

5.

Post mentalem vero Orationem, aliove opportuniori tempore Prima, Tertia, Sexta, Nona, Divini Officii horae sunt recitandae; cum supponatur jam vespere antecedenti Matutinum cum laudibus, fuisse persolutum.

Istiusmodi autem recitatio minime festinanter, aut intuitu solius obligationis adimplendae, expleatur; opus enim minime injuriose tractandum est: sed devota mentis elevatione, inchoari, ac perfici omnino debet; tum externa corporis compositione, quam praeseferre oportet quisque sano modo intelligit illius Orationis, et Majestatis divinae, cum qua loquitur in ipso orationis actu, excellentiam; cui

percipiendae sat est adnotasse, et Deum esse, quo cum loquimur, et divinum esse, quod recitatur, Officium.

6.

Hora opportuna Missa est celebranda: at vero, si nondum sit Sacerdos, seu legitime impeditus, audienda tantum; neque ex consuetudine, aut habitu, vel cum mentali aliqua distractione, aut cordis sterilitate, sed tota, qua potest, cordis devotione, singularique ad tantum Sacrificium attentione; quod immaculati Agni incruentam Unigeniti Filii Dei continens oblationem, nos vehementer admonet, ut ei totis viribus mentis adsistamus, et quamlibet ejus partem, peculiari, sanctaque attentione meditemur.

7.

Post Missae celebrationem, vel matutino alio tempore, optimum erit legere singulari cum reverentia, et ad imitationem D. Caroli, nudo capite, flexisque genibus, Sacrae aliquod Scripturae Caput, aut opportuniorem aliquam ejus partem; ac novissime [ut decet] quod lectum est, meditari, ut memoriae firmius mandari queat. Postea vero proponendum est instituere vitam, ac mores juxta Christi Domini praecepta, ac Legem a SS. Apostolis traditam, si lectum fuerit Novum Testamentum; si autem Vetus, iis informari moribus satagamus, quos Spiritus Sanctus, Divinaeque nos ibi edocent revelationes.

8.

Siquidem viri pietate, ac scientia clarissimi experti plures sunt, non modicae utilitatis fore, si quotidiana, quantum fieri potest, Officia distribuantur apte per diurnas horas, opportunoque tempore disponantur civilia non modo, et domestica, sed et peculiaria quaedam opera, prandii, puta, coenae, cubandi, surgendi: decet idcirco plurimum, definire non modo, sed etiam servare tempus pro quovis officio communi constitutum, ac praecipue pro studio Theologiae Moralis, aliorumque ad Ecclesiasticum statum, spiritualemque directionem pertinentium. Quare cuique Ecclesiastico plures libri adsint oportet, ac praecipue (dum possit), pro functionum, ac rerum varietate sequentes. Pro

Meditatione P. Busaeus, P. Spinola, Aloysius a Ponte, Divique Petri de Alcantaria Opuscula.

Pro spirituali vero lectione, Sacra Scriptura; Sacerdotum Instructio Molinae; Peccatorum Director, vulgo *La Guida* P. Granatae; Thomae a Kempis Imitatio; Mundi contemptus P. Stellae; P. Scupoli *Il Combattimento*, Perfectionis exercitium Rodriquez, Mansi Verus Ecclesiasticus, Opera S. Francisci Salesii, Segalae, Granatae, ac Bellarmini super Psalmos, una cum moralibus sermonibus Discipuli, atque Fonsecae. Ad unicum vero inter tot libros, specialiter intendatur animus, eoque potiatur quisquis, ut ejus monita exacte deducantur ad praxim.

At pro Moralis Theologiae studio opportunissimi creduntur Summa D. Thomae, quartum Scoti Sententiarum, S. Bonaventurae, D. Bernardus, Cathechismus, Synodales Constitutiones, ac Opera denique *Bonacinae*, *Navarri*, *Layman*, *Tamburini*, *Dianae*, *Toleti*, *Marchantii*, *Busembaum*, sive alterius, pro majori commoditate.

9.

Cum Vesperas conveniat, et Completorium, opportuno tempore recitare, post duas scilicet, aut amplius horas a meridie; ita et, flexo ad Vesperam Die, Matutinum recitare cum Laudibus pro sequenti die, in more esse debet. In hoc vero animadvertendum, debita non minus devotione, animique applicatione, quam necessaria Rubricarum custodia, omnia haec peragi oportere.

10.

Priusquam lectum petat, propriae conscientiae examen unusquisque diligenter obeat. Et in eo quidem valde juvat, ad exemplum virorum in via Domini perfectorum, quinque heic subjecta servare.

1. Postquam adstiterit quisque in conspectu Dei per actum verae fidei, Summa illius Majestas adoretur, proque acceptis beneficiis, ac praecipue praesenti die, infinitae ejus Bonitati gratias agendo, aeterna de iisdem profiteatur memoria, incomparabilisque obligatio.

2. Deum deprecari oportet cum ad agnoscenda, tum veraciter detestanda peccata cuncta, patrata toto vitae tempore, et praesertim praesenti die.

3. Sedulo mox perpensis propriae conversationis peccatis, in iis praecipue aliquantulum oportet cogitatione immorari, in quae ex habitu solet quis saepius incidere, ut, ex eorum inspecta turpitudine, actu vivae fidei, et contritionis quisque ipsa detestetur.

4. Debet quivis excitare se ad poenitentiam, nedum patrati cujuscumque criminis, opere, verbo, et corde, tam commissionis, quam omissionis; verum etiam firmiter proponere, se (ope divinae gratiae) nunquam infinitam Creatoris Bonitatem amplius offensurum, a qua omne bonum est, cujus ob amorem vel minima quaevis vitanda culpa est, potissimum vero lethalis, ut pote quae illius Gratiam sola potest a nobis auferre.

5. De cunctis denique erroribus humiliter a Deo veniam petere, ac firmum elicere toto corde propositum, in sanctissimo, dulcissimoque ejus Amore se mori velle, ac vivere in posterum Deo auxiliante.

Ut vero magis magisque appareat cordis contritio, ac protestatio emendationis, illico se debet per omnia, divinae conformare voluntati, per actus amoris Dei, ac timoris judiciorum ejus, ut se ponat, quoad fieri potest, in eo statu, in quo vellet inveniri in hora mortis suae; quae cum venerit, comparendum ante Tribunal Dei est, ubi perpensis, et ad trutinam revocatis operibus, verbis, et cogitationibus, sententiam illam inappellabilem, quae aeternum bonum, aeternumve malum statuit, audire tandem oportet.

11.

Peracto supradicto Conscientiae examine, ac meliorem in modum supra positis quinque punctis in examine devote expletis, conveniens valde est Beatae Virginis Mariae Litanias, cum Oratione currenti recitare, simulque antiphonas, versiculos, atque orationes adjungere, quibus rogare solet Ecclesia pro peccatorum conversione, felicique agonizantium ac morientium transitu; tum etiam pro Animarum in Purgatorio existentium suffragio: ac demum, corpore profunde inclinato cum signo Dominicae Crucis absolvatur Oratio.

12.

Cumque illud exploratissimum sit, ad perambulandam rectam spiritus viam, vitaeque hujus peregrinationem cum

debita morum honestate transigendam, bonum, ac fidelem ducem sequi oportere; suae conscientiae idcirco Moderatorem eligi prudentem opus est, quo sub duce omnes sanctae inspirationes excipiantur; quin etiam bis, vel pluries in hebdomada proprias confiteri culpas valde conveniens est, licet non ita graves, neque necessario prorsus Ecclesiae Clavibus subjiciendas; quia divinae incremento gratiae, fit quisque hoc pacto fortior, multoque magis caelestibus idoneus auxiliis.

13.

Constat praeterea manifeste viros in sortem Domini vocatos, doctrina, ac pietate, sal illud Christi, morumque honestate, et integritate, aliorum lumen se exhibere oportere: ideo non modo tenentur in indumento corporis religiosam praeseferre modestiam, tam vanos colores, quam omnem saeculi luxum exhorrentes; sed et in capillis, barba, ac tonsura nil nisi devotum redolere debent; nec non proprii instituti insignia, sacrumque characterem honore debito prosequentes, non modo blasphemias cujuscumque sint speciei, execrari; sed et mendacia, detractiones, contra proximum locutiones, et obscoenitates abominari ipsos oportet, ceu quae in Ecclesiasticorum ore sint culpabilia, ac perniciosa; quamvis apud saeculares non modo levissimae culpae notanda, ac civilis etiam conversationis usui tribuenda, sed et familiarissimae consuetudinis indicia forte videantur.

14.

Cum autem inter Ecclesiasticos diversamur, illud erit animo advertendum, ne quidquam aut agamus, aut etiam dicamus, cujus mala esse possit acceptio, quod est etiam cum saecularibus servandum: mores namque Ecclesiasticorum, et actiones, cum exemplo eis esse debeant; valde praeposterum est, unde Lux effulgere debuerat, inde effundi tenebras; et venena ad mortem exhibere, illos, quos antidota, et balsama propinare ad vitam, omnino decuerat.

15.

Honestati quoque Clericorum confert plurimum, et ad

pericula ruinae spiritualis vitanda; consuetudinem non modo, sed et nimis frequentem mulierum accessum fugere; multoque magis a proprii cubiculi ingressu familiari ipsas arcere, maxime dum floret aetas; licet aliquo cognationis gradu nobiscum junctae sint; hoc enim plurimorum Sanctorum exacta vivendi ratio fert.

16.

Nec parum prodest, Laicorum, ac praesertim malorum frequenti a contubernio abesse, quin imo et Ecclesiasticorum, si malis ipsi moribus, et amissa pene fama laborent. Contra magnopere juvat cum viris optimis moribus imbutis, ac bonae famae conversari, et serias, frequentesque cum sapientibus allocutiones habere, qui devoto sensu, veroque spiritu Ecclesiastico sint praediti: quia isti dum de veritate, ac perfectione loqui amant, frequenter exquisita ad spiritualem progressum excitamenta, conferendo et colloquendo afferunt.

17.

Ab omni praeterea ludo, Alearum praecipue, et cujuscumque alterius pertinentis ad sortem, abstinere opus est: ista enim periculi, ac scandali, prae caeteris plena sunt. Probos enim Clericos decet, in oratione, litteris, actionibus virtutum sibi, ac Proximo in Domino fructuosis, animi oblectamentum collocare.

Quapropter valde dedecet, ipsos frequenter interesse conviviis, saltationibus, comoediis, et spectaculis, aliisque conventibus ludo, et commessationi mancipatis non modo, sed iis etiam, in quibus sermones politici, et ad Reipublicae regimen pertinentes admisceri solent: quae quidem omnia, magis quam delectationi morali Ecclesiasticis congruae, inserviunt potius oblectamento civili, et saeculari. Quin imo non solum dedecet, sed valde nocet legere, qui parum, aut nil modestiae praeseferunt, libros; quique nullatenus juvant ad spiritualem profectum. Magis vero laedunt, si superstitiosos, ac prohibitos esse comperias.

18.

Optimum quoque semper erit, tam in die vigilantes,

quam noctu dum perstamus insomnes, mentem in Deum elevare, ad sonitum praecipue horarum, brevibus, simulque ferventibus jaculatoriis Orationibus, prout est supra expositum, multique etiam ex saecularibus in Dei honorem, et gloriam assolent.

19.

Propriae reformationi, atque Ecclesiasticae disciplinae tuendae plurimum confert, semel in anno saltem, spiritualia exercitia peragere, juxta Regulam a D. Ignatio traditam, ac toto terrarum orbe summa cum laude, maximoque progressu susceptam.

Quare sciendum est, semper omnimode profuturum, si nequeat quis octo, vel quindecim, aut plurium dierum spatio juxta praescriptam regulam, hujuscemodi exercitiis omnino vacare; aliqua saltem ex parte iisdem dare operam, prout opportunius, et commodius erit cuiquam in via Domini proficere exoptanti, tutiusque salutis suae maximum negotium reddere, satagenti.

20.

Denique non mediocris utilitatis opus experti sunt devoti quidam Ecclesiastici, aliquam ex hactenus propositis, (bonis utique, facilibusque) regulam, et legere saepius, et singulis primis cujusque mensis diebus omnes simul relegere. Hic autem unus quisque sedulo intendat, firma semper, et pia renovare proposita, exacteque simul, et opportunae executioni mandare omnia, quae in hisce bonis regulis, ad majorem Dei gloriam, et spiritualem animarum utilitatem scripta sunt.

§ III.

Nonnulla alia praecipua Monita ad ecclesiasticam vitam recte traducendam.

1.

Debet quisque tam Sacerdos, quam simplex Clericus qualibet hora, ne dicam quovis vitae momento, in deliciis ha-

bere, sibique usu familiare reddere, perutile Divinae praesentiae exercitium, quo actiones suas, et dirigat expeditius, et internum hominem valeat reformare.

2.

gia antiquae consuetudinis in Presbyterorum, atque Episcoporum ordinationibus. Olim quidem Diaconi Eucharistiam populo tribuebant: verum id in Occidente praestabant, si necessitas urgeret, atque abesset Presbyter, aut juberet. Nunc soli Sacerdotes Eucharistiam administrant. Divinum hoc Sacramentum suscipere possunt Christiani omnes, qui justi, ac digni habentur: at nonnisi a jejunis sumenda est, exceptis aegrotis, quibus non jejunis datur viaticum, cum in vitae discrimine versantur. Nullum autem hac de re divinum praeceptum est: quin Christus Apostolis coenatis suum corpus, et sanguinem dedit. Verum id ipse praecipuis, gravibusque de causis fecit, neque Ecclesiae statuendi jejunii facultatem ademit, quod statuit.

CAPUT II.

De Sacrosancto Missae Sacrificio.

—

Quid est Missa?

Est passionis Christi contemplatio, et quasi repraesentatio.

Quare dicitur Missa?

Dicitur a mittendo, quia oblatio Corporis Christi mittitur ad coelum ministerio Angelorum.

Quis Missam instituit?

Dominus Noster Jesus Christus, quando panem in Corpus, et vinum in Sanguinem transmutavit. Unde S. Petrus Apostolorum Princeps primo Antiochiae celebravit: Jacobus autem Apostolus Episcopus Hierosolymitanus, et Basilius Caesariensis nobis ordinem tradiderunt eam celebrandi, ut habetur.

Quare instituta fuit Missa?

Ad repraesentandam Domini Nostri Jesu Christi passionem.

Quid significat Missa?

Significat Christum a Patre in hunc mundum transmissum, Hostiam, seu vota, preces, et oblationes per ministerium Sacerdotum transmissas.

A quo debet Missa celebrari?

A solo Sacerdote rite ordinato.

In quo loco debet Sacerdos Missam celebrare?

In loco sacro, et mundo, ut ex: gr: in Ecclesia. Extra vero Ecclesiam consecratam celebrare non licet sine necessitate, vel licentia Episcopi: et locus debet esse paratus cum omnibus paramentis requisitis, et Altari consecrato saltem portatili, cum calice consecrato, et pallis seu linteaminibus, et corporali consecratis, ac de puro lino confectis.

Quot sunt vestes, quibus debet indui Sacerdos in celebratione Missarum?

Sunt septem; scilicet superpelliceum, Amictus, Alba, Cingulum, Manipulum, Stola, et Casula. Quamvis superpelliceum non sit de essentia Missae, et sic non requiritur, quod sit benedictum; coetera autem benedici debent ab Episcopo.

Quid significat superpelliceum?

Vitae munditiam significat, quam debet habere Sacerdos, ac ita debet esse de lino albo, et mundo.

Quid significat Amictus?

Mentis elevationem significat, quam prae caeteris debet habere Sacerdos, maximeque cum Missam celebrat, illudque coopertorium repraesentat, quo Judaei Christi faciem velabant, dicentes: Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?

Quid significat Alba?

Perseverantiam significat in bonis operibus, quam debet habere Sacerdos: et vestem repraesentat, qua Christum Herodes illusit.

Quid significat Cingulum?

Timorem Dei significat, per quem prohibetur peccatum a Sacerdote perpetrari: et repraesentat flagellum, quo Christus saevissime jussu Pilati caesus fuit.

Quid significat Manipulus?

Fructum bonorum operum significat, quem boni Sacerdotes in Paradiso reportabunt: et repraesentat funem, quo Jesu comprehensus, ac ligatus fuit a Judaeis.

Quid significat Stola?

Carnis mortificationem significat, et in modum crucis poni debet ad designandum, quod Sacerdos deferre debet Crucem poenitentiae in corde, et in corpore suo; et repraesentat ligamentum, quo ligatus fuit Jesus ad columnam.

Quid significat Casula?

Charitatem significat, quae omnibus aliis virtutibus praeeminet, et cooperit multitudinem peccatorum: et purpu-

reum repraesentat vestimentum, quo milites circumdederunt Jesum.

Quid per illas septem vestes significatur?

Septem Spiritus Sancti dona significantur, quibus Sacerdos debet esse perfusus. Vel ut arma contra septem peccata mortalia ordinata, a quibus Sacerdos debet esse immunis. Vel septem virtutes significant, tres theologales, et quatuor cardinales, quibus debet Sacerdos esse ornatus. Vel septem opera misericordiae, quae debet Sacerdos exercere. Vel septem dotes, quas celebrans habebit in Paradyso, quatuor ex parte corporis, et tres ex parte animae.

Quae sunt, quae in Missae celebratione intervenire debent?

Sunt novem: scilicet Altare, Calix, Patena, Sacerdos, Liber, Panis, Aqua, Vinum, et Corporale.

Quid significat Altare?

Significat Crucem, in qua Dominus Noster Jesus Christus passus est.

Quid significat Calix?

Significat tumulum, seu sepulchrum in quo Christus fuit sepultus.

Quid significat Patena?

Significat lapidem, quem Joseph ab Arimathaea advolvit ad ostium monumenti.

Quid significatur per Sacerdotem celebrantem?

Ipse Christus qui fuit hujus Sacramenti institutor.

Quid significat Liber?

Significat verba in Cruce prolata.

Quid significat Panis

Significat Corpus Christi.

Quid significat Aqua?

Significat Sudorem, quem emisit Christus orans in horto, qui factus est sicut guttae sanguinis decurrentis in terram.

Quid significat Vinum?

Significat Sanguinem, quem pro nostra redemptione ipse Salvator effudit.

Quid significat Corporale?

Significat Syndonem, seu linteum, in quo Christi Corpus in tumulo fuit involutum.

De qua materia debet fieri Altare?

Debet esse lapideum, et non ligneum, vel ferreum: et debet per Episcopum consecrari. Sed si ad celebrandam Missam Altare consecratum non habetur, parvula tabula consecrata saltem habeatur, quae dicitur Altare viaticum,

seu portatile. Altaria insuper non debent consecrari sine reliquiis: et potest Episcopus in eadem Ecclesia plura Altaria consecrare.

Quare ad Altare requiritur tabula lapidea?

Quia Christi monumentum, seu sepulchrum significat, quod fuit excisum in petra.

De qua materia fieri debet Calix?

Debet esse de auro, vel argento aut saltem habere cuppam argenteam intus inauratam, et simul cum patena itidem inaurata. Non autem debet esse de aere, aut plumbo, et similibus: quia propter eruginem vomitum provocant; nec debet fieri de ligno propter poros, ne Sanguis subintret, nec de lapide propter ineptitudinem: nec de vitro, aut chrystallo propter fragilitatem.

Quo tempore debet Missa celebrari?

Regulariter de die, et non de nocte celebranda est, excepta nocte Nativitatis Domini.

Quare Missa de die, et non de nocte celebratur?

Quia in Missa Christi passio rememoratur, quae facta fuit de die, et non de nocte. Vel quia per noctem denotatur status peccati, et per diem status gratiae ad significandum quod ille, qui Missam celebrat, debet esse in statu gratiae: et Sacerdos, qui scienter celebrat ante diem, cum sit contra generalem Ecclesiae consuetudinem mortaliter peccat, nisi super hoc a S. Sede Apostolica dispensetur. Excipitur ab hac regula dies Natalis Domini, in quo Missa media nocte celebratur.

Quare in Nativitate Domini tres Missae celebrantur?

Quia per illas tres Missas tres Christi Nativitates repraesentantur; nativitas aeterna a Patre; nativitas spiritualis, qua nascitur pro animabus justorum; et nativitas corporalis; qua nascitur de Maria Virgine. Unde una ante diem celebratur ad designandum tempus ante legem, quando erant homines in tenebris. Secunda cum diescit ad designandum tempus sub lege, quando nondum notitia Dei habebatur. Tertia in die plena ad significandum tempus gratiae, quando jam plena cognitio habebatur.

Quoties in die debet Missa celebrari?

Quilibet Sacerdos potest in die semel celebrare, quia unica Christi passio repraesentatur; et valde felix est, qui unam digne celebrat. Excipitur dies Nativitatis Domini, in quo possunt celebrari a quolibet Sacerdote tres Missae. Ne-

mini autem licet una eademque die plures Missas peragere excepto casu si Parochus duas habeat Paraecias dissitas, nec sit alius Sacerdos, qui possit commode in alia celebrare, ne populus frequens die festo Sacro privetur: dummodo in prima Missa ablutionem post communionem non sumat, quia tunc non esset jejunus. Sciendum quoque est, quod omni die, excepta Feria Sexta in Parasceve Missa celebratur, quia eo die Christus seipsum immolavit, et cum Missa sit figura passionis Christi, adveniente veritate, cessare debet figura: et quia ipsa dies, in qua Christus passus fuit ipsam passionem satis efficaciter repraesentat: ideo statuit Ecclesia, ut in illa die Christi Corpus non consecretur, sed quod in praecedenti die reservatum est, sumatur.

Quomodo Missa debet celebrari?

Sacerdos Missam celebrando, ordinarium, seu rubricas Missalis servare debet, discooperto capite, ac sine lumine, seu candela, aut cereo accenso celebrare non debet, in quo sunt tria scilicet cera, lychnus, et ignis: et illa tria in cereo accenso tres ipsius Trinitatis Personas denotant, scilicet Personam Patris per ceram; Personam Filii per lychnum; et Personam Spiritus Sancti per ipsum flammam, seu ignem. Unde candela Christi carnem significat, quae de Virgine Maria sine corruptione nata est. Ignis autem sive lumen significat divinitatem. Lychnus vero in cera latens significat candidissimam Christi animam in carne latentem. Sacerdos insuper unum saltem, qui respondeat, et inserviat habere debet.

In quot partes dividitur Missa?

In quatuor: scilicet in obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones. Unde prima pars ad populi instructionem pertinet. Secunda ad materiae consecrationem. Tertia ad materiae consecratae sumptionem. Quarta ad gratiarum actionem. Prima pars extenditur ab Introitu usque ad Offertorium. Secunda pars ab Offertorio usque ad finem dominicae orationis. Tertia pars a communione usque ad finem Missae.

Quid est Introitus?

Est pars illa, quae legitur, quando Sacerdos accedit ad Altare Dei.

Unde dicitur Introitus?

Dicitur ab introeundo, quia tunc Sacerdos ad Altare accedit.

Quid significat Introitus?

Significat vaticinia Prophetarum, et desideria Sanctorum Patrum Filium Dei incarnatum desiderantium: inchoationem quoque boni operis significat.

Quare Introitus duplicatur?

Ad designandum, quod in Christo duae sunt naturae, humana scilicet et divina: et quod in nostra inceptione debemus declinare a malo, et facere bonum.

Quare Versiculus interponitur post Introitum?

Ad denotandum majorem mentis attentionem: et subditur Gloria Patri, ad significandum quod a tota Trinitate Christi adventus postulatur; vel ut in qualibet Missa Trinitatem honoremus; in Missa vero pro defunctis Gloria Patri non dicitur, quia incerti sumus de eorum liberatione.

Quid significat Kyrie eleison?

Misericordiae Dei invocationem significat; vocabulum enim graecum est quod latine redditur Domine miserere; quod novies dicitur ut novem Angelorum ordinibus associemur. Dicitur autem post Introitum, quia ante omnem Sacerdotis orationem necesse est Dei misericordiam implorare. Insuper in laudem Trinitatis triplicatur: et primo dicitur ter Kyrie eleison in laudem Patris. Secundo dicitur Christe eleison ter in gloriam Filii. Tertio dicitur Kyrie eleison ter in honorem Spiritus Sancti. Unde sciendum est, quod Missa in tribus linguis celebratur, scilicet Hebraica, Graeca, et Latina. Nam Alleluja, Amen, Hosanna, Sabaoth sumuntur de Hebraica. Kyrie eleison, Christe eleison sumuntur de Graeca. Reliqua omnia sumuntur de Latina: et dicitur in tribus linguis, quia titulus Christi in cruce pendentis, scriptus fuit Hebraice, Graece, et Latine.

Quid significat Gloria in excelsis Deo?

Significat gratiarum actiones, ad repraesentandum hymnum, quem Angeli pastoribus nato Domino cecinerunt: unde Sacerdos dicens, gloria in excelsis Deo illius Angeli personam gerit: Chorus respondens gerit personam multitudinis Angelorum.

Quid est Oratio?

Est mentis in Deum cum verborum expressione elevatio.

Quid significant Orationes?

Repraesentant orationes, quas Christus post suam nativitatem fecit pro populo.

Quare Oratio praecedit Epistolam?

Quia Epistola est quaedam lectio doctrinae, et ideo ipsam praecedit oratio, ut auditores proficiant.

Quid est Epistola ?
Est supernae commissionis per Apostolos, et alios Dei Sanctos complexio.
Unde dicitur Epistola ?
Dicitur ab EPI, quod est supra, et STOLOS, missio, quasi res facta, et missa ab Apostolis, virisque orthodoxis ad instructionem populi in fide catholica.
Quid significat Epistola ?
Officium significat Joannis Praecursoris: et Joannes Christum venturum non solum praedicavit, imo praesentem monstravit.
Quid significat Graduale ?
Gressum significat Apostolorum post Christum: vel lamentum Joannis significat poenitentiam praedicantis.
Quid significat Alleluja ?
Ineffabile Angelorum gaudium significat, et hominum in aeterna felicitate Deum laudantium.
Quid significat Tractus, qui loco Alleluja in Quadragesima dicitur ?
Significat Christum pro nobis miseris in sua passione ad varios judices tractum.
Quid significat Graduale ?
Significat vitae activae, et contemplativae perfectionem.
Quare Epistola Evangelium praecedit ?
Quia Epistola veteris legis, Evangelium vero novae legis observantiam significat.
Quid est Evangelium ?
Est divinae veritatis editio per Sanctos Evangelistas conscripta.
Unde dicitur Evangelium ?
A vocabulo Graeco EVAGGELION idest faustum nuntium.
Quare Evangelium in alto loco legitur ?
Ad denotandum, quod doctrina Evangelii omnia alia praecedere debet, et excellere.
Quid significat Symbolum ?
Significat Fidem Apostolorum.
Quid significat Offertorium ?
Significat nostri spiritus sacrificium.
Quid significant secreta ?
Statum vitae significant.
Quid est Praefatio ?
Est quaedam gratiarum actio, divinaeque laudis confessio.

Quid significat Sanctus?

Laudem repraesentat, quam pueri Hebraeorum Dominica in ramis Palmarum cecinerunt.

Quid significat Hosanna?

Significat benedictionem, ac jubilationem.

Quid significat Sabaoth?

Significat Deus Exercituum.

Quid est Canon?

Est compilatio verborum ad divinum officium, et ad consecrationem corporis, et sanguinis Domini Nostri Jesu Christi pertinentium.

Quid significat Canon?

Significat transitum membrorum in corpus Christi mysticum.

Quid significat Corporis Christi elevatio?

Significat Christi in Cruce elevationem.

Quid significat demissio?

Ejus depositionem de cruce significat.

Quid significat positio super Corporale?

Significat ejus involutionem in syndone munda.

Quid significat Corporale?

Syndonem significat; ideo consulto statutum fuit, ut sacrificium altaris non in serico panno, aut gossipio quisque celebrare praesumat, sed in puro linteo ab Episcopo consecrato, terreno scilicet lino confecto, atque contexto, sicut corpus Domini Nostri Jesu Christi in syndone lintea munda sepultum fuit.

Quid significat Nobis quoque peccatoribus?

Significat contritionem, et confessionem latronis alterum increpantis, et dicentis: nos quidem digna factis recipimus: nec non a Domino misericordiam petentis: significat etiam confessionem Centurionis, et eorum qui cum eo erant revertentes, percutientes pectora sua. Unde in tunsione pectoris tria sunt animadvertenda, nempe ictus, sonus, et tactus, et hoc est quia peccamus cogitatione, verbo, et opere.

Quid significat Exclamatio Sacerdotis voce elevata, cum dicit Pater noster qui es in coelis?

Ad mentem revocatio illius clamoris, quem in hora mortis Christus emisit, dicens; Pater in manus tuas commendo Spiritum meum.

Quid significat Pater Noster?

Filiationem per gratiam significat.

Quid significat Fractio Hostiae?
Significat separationem animae Christi a corpore.
Quare Hostia frangitur in tres partes?
Propter tres aperitiones in Corpore Christi tempore passionis, nempe manuum, pedum, et lateris. Istae tres partes fiunt propter Trinitatem personarum in una essentia. Unde licet fiant tres partes in divisione Hostiae, unus tamen est Christus totus sub qualibet Hostiae parte. In speculo exemplum habemus, quod si in plures partes dividatur, in qualibet parte apparet imago, quae prius apparebat in integro. Ubi enim est pars Corporis Christi, est totum, quia quaelibet Hostiae pars, licet integre consecretur, in totum corpus, non pars in partem convertitur.
Quid significat Immissio Hostiae in calicem?
Significat Sacrum Christi Corpus in sepulcro reconditum.
Quid significat, Pax Domini sit semper vobiscum?
Significat una Sabbatorum stetisse Jesum in medio discipulorum, atque eis dixisse, pax vobis: eisque potestatem dedisse remittendi peccata. Et ideo chorus decantat, Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Haec enim verba liberationem a peccatis per divinam misericordiam demonstrant.
Quare Agnus Dei triplicatur?
Ut a malis praesentibus, praeteritis, et futuris, liberemur; et ad significandum, quod petimus nobis remitti peccata cogitationis, locutionis, et operationis, per quorum remissionem ad aeternam pacem veniemus.
Quid significat Communio?
Boni operis consummationem significat.
Quid significat post Communio?
Significat Apostolorum gaudium de Christi resurrectione.
Quid significat: Ite missa est?
Illud significat, quod dictum est discipulis statim post Christi Ascensionem in coelum; scilicet hic Jesus, qui assumptus est a vobis in coelum etc.
Quid significat Deo gratias?
Significat Apostolos regressos cum gaudio magno in Hierusalem unanimiter perseverantes in oratione, et quod pro beneficio redemptionis nostrae, cujus mysterium in Missa repraesentatur, in continua gratiarum actione esse debemus.

Quid significat Sacerdotis benedictio, et ultimum Evangelium in fine Missae?
Significat benedictionem Sanctis Apostolis a Christo Domino in Coelum ascendente impertitam, ac jussionem eundi in universum mundum, et praedicandi Evangelium omni creaturae: quod reapse Apostoli fecerunt post Spiritus Sancti Paraclyti adventum.
Quae sunt, quae requiruntur de necessitate, ut possit Missa celebrari?
Sunt quatuor. Primum est, quod Sacerdos celebrare, et Sacramentum conficere volens, intentionem habeat hoc faciendi, alias nihil ageret. Secundum est, quod sit debite in Sacerdotem ordinatus, quoniam si esset solum in ordinibus minoribus, vel etiam in Subdiaconatu, vel Diaconatu, id non posset. Requiritur igitur debitus ordo sacerdotalis. Tertium est, quod sit debita materia, panis nempe triticeus, et vinum vitis cum aqua naturali. Quartum est, quod sit debita forma verborum, tam super pane, quam super vino.
Quae est intentio, quam debet habere Sacerdos in Sacramentum Eucharistiae conficiendo?
Requiritur intentio, quod Sacerdos intendat facere in consecratione, quod Christus fecit. Non est autem necessaria intentio actualis, sed sufficit virtualis: ex. gr. si accedens ad altare habet intentionem celebrandi, et consecrandi, sed postea ejus intentio per aliam supervenientem cogitationem suspenditur; et tunc ex virtute primae intentionis vere conficit: ut Sacerdos acceptis pluribus hostiis consecrandis, cum ad actum consecrationis venit, non advertit, nisi ad eam quam habet in manu, et super illam profert verba sacramentalia, et sic aliae erunt consecratae.
Quot modis sumitur Eucharistiae Sacramentum?
Quatuor modis, scilicet corporaliter, spiritualiter, sacramentaliter et corporaliter: sacramentaliter, corporaliter, et spiritualiter simul. Primo, corporaliter ut infidelis sumeret, non credens ibi esse Corpus Christi verum. Secundo, spiritualiter, ut fideles Missam devote audientes, et corde Eucharistiam sumendi exoptantes. Tertio, sacramentaliter et corporaliter, ut Christiani in lethali peccato sumunt. Quarto, Sacramentaliter, corporaliter, et spiritualiter simul, ut qui cum charitate, et gratia, devotione, et fide existentes Sacramentum istud sine peccato re-

cipiunt, qui ex tali perceptione gratiam in hoc mundo, et gloriam in Paradiso assequuntur.

Quot ad sumptionem Sacramenti Eucharistiae requiruntur?

Tria, nempe elevatio mentis in Deum, munditia corporis, et immunitas a peccato. Ultimum de necessitate requiritur, caetera de congruitate.

Quibus dari debet Sacramentum Eucharistiae?

Omnibus fidelibus. Nam Ecclesia statuit, quod omnis fidelis saltem in anno teneatur ex praecepto, postquam ad annos discretionis pervenerit confiteri omnia peccata sua, et communicare saltem tempore Paschali, et qui vero huic praecepto non satisfecerit, vivens ab ingressu Ecclesiae prohibeatur, et mortuus ecclesiastica sepultura careat.

In qua aetate est dandum Eucharistiae Sacramentum?

Pueris rationis usu carentibus, qui inter cibum spiritualem, et corporalem discernere non possunt, Corpus Christi dari non debet, quia ad ipsum exigitur actualis devotio, cujus tales pueri sunt expertes: sed pueris incipientibus habere discretionem, etiam ante perfectam aetatem, ex. gr. cum sunt decem, vel undecim annorum, potest dari, si in eis discretionis signa, et devotionis appareant. Unde pueri informandi sunt, quod credere debeant, Christum de Virgine natum, et pro nobis passum in hoc Sacramento contineri, ibique panem non esse, sed species solummodo panis, quia in consecratione tunc panis in verum Christi Corpus transubstantiatur: in qualibet hostiae parte verum esse Christum, etiam in minima, quamdiu manet species panis, aut vini.

Quomodo Christus tam magnus sicut in cruce pependit, potest esse sub tam parva specie panis?

Omnia Deo possibilia sunt. Exemplum in naturalibus recipere possumus, sicut in pupilla oculi, vel in speculo. Ubi videmus, quod unus mons totus, vel tota turris, quantumcumque magna in parvo speculo, vel oculo secundum figuram ejus se recolligit, et figuratur; et tamen oculus est quasi punctus respectu talis rei. Si hoc facit natura, nonne Creator naturae plus potest? Deus infinita sua potentia facere potest, quod majus sub minori contineatur. Unde omnia flumina intrant mare, et mare non redundat; et tamen locus maris a suae creationis principio non est dilatatus usque nunc, et ex hoc clare apparet majus, Deo sic disponente, in minori contineri.

Quomodo Christus fit in hoc Sacramento?

Idem Christus, qui de Virgine natus, ac pro nobis passus est in hoc Sacramento continetur.

Quare Sacramentum Eucharistiae non datur laicis sub utraque specie?

Propter periculum effusionis, quia scandalum posset oriri, quia sub minima gutta est totus Christus. Vel ne simplices crederent subesse solum sanguinem, et sub specie panis esse solum Corpus Christi. Nam quilibet Christianus credere debet, totum Jesum Christum secundum corpus, et animam, et divinitatem esse sub utraque specie consecratum, ipsosque laicos totum Jesum Christum sumere secundum corpus, et animam, et divinitatem sub specie panis. Sciendum, quod idem Christus, qui est sub specie panis in hostia, etiam est sub specie vini in calice: licet dicatur ex Sacramenti virtute sub specie panis tantum corpus, et sub specie vini sanguinem esse: tamen propter naturalem concomitantiam sub utraque specie est totus Christus, scilicet secundum corpus, et animam, et divinitatem, quia haec tria separata sunt.

Quare Sacerdotes sumunt hoc Sacramentum sub utraque specie?

Ad perfectionem sacrificii, et ad ostendendum quod ipsi aliis hominibus debent esse mundiores.

Quandiu manet Christus sub specie panis?

Quandiu species panis non digestae sunt, tandiu manet in stomacho sub dictis speciebus, et in qualibet visibili parte, et si ipse qui communicavit, est bonus, ac bene dispositus, tunc post digestionem manet effectus, idest gratia Sacramenti; si autem malus tunc post digestionem Christus ab eo recedit; nam in os Judae Christus in Sacramento intravit, sed quia immundum, et pollutum cor habuit, ideo Christus ab eo recessit: veluti si in aliquam caderet immunditiam, tunc adhuc maneret Sacramentum, quandiu manerent species. Quia in os ipsius peccatoris pollutum intrat, idcirco nullum consequitur fructum, sed maximum incurrit aeternae damnationis periculum; qui enim manducat, et bibit indigne judicium sibi manducat, et bibit.

Quare Christus non vult a nobis videri corpus suum in hoc Sacramento?

Propter quatuor rationes hoc praecipue facit. Primo propter nostram humilitatem, ut scilicet in hujus Sacramen-

ti receptione humiliemur, considerantes nos indignos ipsum Dominum Jesum Christum videre. Secundo propter nostram fidelitatem, ut credendo, quod non videmus, magnam fidei mercedem recipiamus. In hoc enim Sacramento, quod est super omnem intelligentiam humanam, necessaria valde est captivatio intellectus in obsequium Christi. Tertio propter malorum indignitatem, qui sacrosanctum Filii Dei Corpus conspicere sunt indigni. Quarto propter omnium imbecillitatem, qua claritatem Corporis Jesu nullus viator naturaliter inspicere posset.

Quare Eucharistia datur in agone infirmis morientibus?

Propter confortationem: quia homo longam viam habet tenebrosam, et ignotam ambulare; et sicut corpus sine cibo deficit, et per cibum confortatur, sic anima per istum cibum scilicet Sacramentum reficitur. Quocirca cum Sacerdos portat Eucharistiam ad infirmum, debet illam decenti habitu, ac superposito velamine mundo deferre, et manifeste, atque honorifice ante pectus cum omni reverentia, et timore, luminibus semper praecedentibus, ut ex hoc apud omnes fides, et devotio augeatur.

Quales sunt effectus Sacramenti Eucharistiae?

Primus, ac praecipuus effectus est augmentum gratiae conferre. Secundus est peccata venialia remittere, sive id fiat immediate ex opere operato, sive charitatem excitando, per quam venialia solvantur. Tertius est a mortali praeservare, robur, et gratiam animae conferendo. Quartus est poenam temporalem peccatis debitam remittere ratione actuum charitatis, qui per Sacramentum excitantur. Quintus est spiritualis dulcedo, et ad spiritualia peragenda facilitas. Sextus intima, ac specialis unio cum Christo, illiusque membris, ut habetur in Joanne c 7., in me manet, et ego in eo. Septimus aeternae gloriae adeptio; ait enim idem Christus; qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.

Qui sunt defectus, qui accidere possunt circa Sacramentum Eucharistiae?

Si contigit; quod Sacerdos celebrans moriatur, vel gravi occupetur infirmitate ante Christi Corporis consecrationem, non oportet ut per alium Sacerdotem quod restat suppleatur: si autem post consecrationem hoc acciderit, etiam jam consecrato corpore ante sanguinis consecrationem, Missa per alium Sacerdotem debet expleri. Item si Sacerdos post incoeptam hujus Sacramenti consecrationem

se aliquid comedisse, aut bibisse recordetur, nihilominus debet Sacrificium perficere, ac Sacramentum sumere: et similiter si recordetur se peccatum aliquod mortale commisisse, de quo non fuerit confessus, debet de commisso poenitere cum proposito confitendi, et satisfaciendi, atque ita perficere Sacrificium, et sumere Sacramentum. Si musca, vel aranea in calice ante Christi Sanguinis consecrationem ceciderit, aut etiam Sacerdos in calice venenum positum esse cognoverit, debet illud effundi, quod est in calice, et hoc abluto, poni debet aliud vinum cum aqua ad consecrandum: si vero aliquid horum post sanguinis consecrationem ceciderit debet animal caute capi, et diligenter lavari, et comburi, et ablutio illa cum cineribus simul in sacrarium mitti: si vero Sacerdos in calice, post verba consecrationis sanguinis, venenum esse cognoverit, nullo modo debet ipsum sumere, nec aliis dari ad sumendum, ne calix vitae in mortem vertatur; sed consecrari ab eo debet novus sanguis, et sumendus ne sacrificium remaneat imperfectum: et finita Missa sanguis in calice repositus in panno lino, vel stuppa tandiu servetur, donec species vini fuerint desiccatae, et tunc stuppa comburatur, et combustio in sacrarium projiciatur. Item si Sacerdos ante consecrationem Sanguinis, et post consecrationem Corporis Christi cognoscat vinum, vel aquam non esse in calice, debet statim apponere, et consecrare; si autem post verba consecrationis Sanguinis Christi hoc advertat, aquam scilicet in calice non fuisse positam, sed vinum, debet Sacerdos nihilominus in Missa procedere, eamque perficere, quia infusio aquae in vinum non est de necessitate hujus Sacramenti. Si vero advertat Sacerdos post verba consecrationis Sanguinis Christi, vinum non fuisse in calice positum, sed aquam; si hoc sentiat ante sumptionem Corporis Christi, debet, deposita aqua, ponere vinum in calice cum aqua, et Sanguinem consecrare, Missamque perficere: si autem post sumptionem Corporis Christi hoc advertat, vinum non fuisse in calice positum, sed aquam, debet aliam hostiam apponere, et vinum cum aqua in calice infundere, ac Corpus, et Sanguinem Christi consecrare, quia si diceret sola verba consecrationis Sanguinis, non servaretur debitus ordo consecrandi, et, sicut dicitur in Canone Toletani Concilii, perfecta videri non possunt sacrificia, nisi perfecto ordine compleantur. Si vero inciperet a consecratione Sanguinis, ac omnia ver-

ba consequentia repeteret, non compleret nisi adesset hostia consecrata: quum in illis verbis occurrunt quaedam dicenda, et fienda non solum circa Sanguinem, sed etiam circa Corpus. Et debet in fine iterum hostiam consecratam, et Sanguinem sumere, non obstante etiam si prius sumpserit aquam, quae erat in calice; quia praeceptum de perfectione, vel de perceptione hujus Sacramenti majoris est ponderis, quam praeceptum, quod hoc Sacramentum a jejunis sumatur. His tamen non obstantibus, licet, ubi homo privatim coram uno, vel duobus celebrat, consultius sit S. Thomae opinionem servare; tamen ubi in publico celebraretur, ad evitandum scandalum, et turbationem populi, forte non esset absurdum, ut Sacerdos fingens lotionem sumere, vinum tunc infunderet, et consecraret, et sumeret. Nam scandalum excusaret, praesertim cum jam facta fuerint signa super hostiam, licet non legitime super calicem. Si materia, quae esset apponenda ratione defectus vel panis, vel vini, non posset ullo modo haberi, si id sit ante consecrationem Corporis, ulterius procedi non debet; si post consecrationem Corporis, aut etiam vini, deprehenditur defectus alterius speciei, altera jam consecrata, tunc si nullo modo haberi possit, procedendum esset, et Missa absolvenda, ita tamen ut praetermittantur verba, et signa, quae pertinent ad speciem deficientem. Quod si expectando aliquandiu haberi possit, expectandum erit, ne Sacrificium remaneat imperfectum. Si in hyeme Sanguis congeletur in calice, involvatur calix pannis calefactis; si id non proficiat, ponatur in ferventi aqua prope altare, dummodo in calicem non intret, donec liquefiat. Si contingat, quod propter frigus, vel forte hostia consecrata de manibus Sacerdotis in calice dilabatur, sive ante fractionem hostiae, sive post, non est necesse hoc in casu aliquid circa hujus Sacramenti celebrationem reiterare. Fractio enim hostiae, et quod una pars demittatur in calice respicit, et significat Corpus Christi mysticum, sicut commixtio aquae cum vino, unionem populi christiani cum Christo significat, et ideo horum intermissio imperfectum non reddit Corporis, et Sanguinis Christi Sacrificium, ut propter hoc sit necesse aliquid circa celebrationem hujus Sacramenti reiterare. Si hostia ante consecrationem inveniatur fracta, nisi populo evidenter appareat, talis hostia consecretur; si autem scandalum populo esse possit, alia accipiatur, et offeratur; quod si illius

hostiae jam facta erat oblatio, eam post ablutionem sumat. Quod si ante oblationem hostiae appareat confracta accipiatur altera integra, si citra scandalum, aut longam moram fieri poterit. Si per negligentiam aliquid de sanguine stillaverit in tabula, quae terrae adhaeret, lingua lambatur, et tabula radatur; si vero non fuerit tabula, terra radatur, et igni comburatur, et cinis intra altare recondatur, et Sacerdos quadraginta diebus poeniteat. Si autem calix super altare stillaverit, sorbeat minister stillam, et tribus diebus poeniteat; si vero super linteum altaris, et ad aliud stilla pervenerit, tribus diebus poeniteat; si usque ad tertium, novem diebus poeniteat; si usque ad quartum, viginti diebus poeniteat, et linteamina quae stilla tetigerit, tribus vicibus lavet minister, et aqua ablutionis juxta altare recondatur. Item si quis per ebrietatem, vel voracitatem Eucharistiam evomerit, laicus quadraginta diebus poeniteat, Clericus vero, vel Monachus sexaginta, Episcopus autem nonaginta. Si vero infirmitatis causa evomerit, septem diebus poeniteat. Item si quis Sacramentum non custodierit, et mus, vel aliquod aliud animal illud comederit, quadraginta diebus poeniteat; qui autem illud in ecclesia perdiderit, vel ejus pars ceciderit, et non inventa fuerit, triginta diebus poeniteat: eandemque meretur poenitentiam Sacerdos ille, cujus negligentia hostiae consecratae in speciebus sacramentalibus putrefiunt. In praedictis autem poenitentiae diebus, debet poenitens jejunare, et a communione cessare; perpensis tamen circumstantiis, ac conditionibus rei, ac personae, potest minui, vel augeri poenitentia. Hoc insuper observandum est, quod ubicumque species sacramentales integre inveniuntur, reverenter servandae sunt, quia manentibus speciebus, manet Corpus Christi. Illa autem animalia, in quibus species sacramentales inveniuntur, ut mures, et hujusmodi, si commode possit, sunt comburenda, eorumque cineres in sacrario, ut supra dictum est, recondendae.

CAPUT III.

De horis Canonicis

—

Quid est Hora Canonica?

Est Officium Divinum, certa hora diei naturalis, Deo ab ecclesiasticis personis persolvendum; seu quaedam satisfactio obligationis contracta propter beneficium, ordinem, vel officium susceptum, ex quibus quis devote ad ipsas horas dicendas obligatur.

Unde dicitur Hora?

Ab oro, quia orando, et contemplando debet recitari.

Quare dicitur Canonica?

Quia a canone est instituta.

Quot sunt Horae Canonicae?

Sunt septem; nempe Matutinum, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperae, et Completorium: et ab Ecclesia sunt institutae, ut dicantur ad laudandum Deum pro acceptis beneficiis, inter quae maxima sunt creationis beneficia, quae septem diebus expleta sunt: et quia sicut septies cadimus per peccatum, ita septies per septem horas canonicas resurgimus, juxta illud Psalmi 18: septies in diem laudem dixi tibi: item septem sunt ad septem Spiritus S. dona significanda.

Qui tenentur ad Horas Canonicas?

Omnes ecclesiasticae personae ad laudandum Deum, et gratias de beneficiis ab eo acceptis agendas: ac triplex est personarum ecclesiasticarum genus. Primum est illorum qui sunt beneficiati. Secundum in Sacris existentium, licet non sint beneficiati. Tertium eorum, qui per professionem, vel votum ad id faciendum se obligaverint.

Quare institutae sunt Horae Canonicae?

In memoriam passionis Christi.

Quare instituta fuit Hora Matutini?

In Memoriam illius horae, qua Christus captus, et illusus est a Judaeis.

Quare instituta fuit Hora Primae?

In memoriam illius horae, qua Christus ligatus Pilato Judici fuit praesentatus.

Quare instituta fuit Hora Tertiae?

In memoriam illius horae, qua Christus ad columnam fuit ligatus, et ibidem atrociter verberatus, ac deinde in cruce positus.

Quare instituta fuit Hora Sextae?

In memoriam illius horae, qua Christus clavis confixus est, et quia tunc tenebrae factae sunt a sexta hora usque ad nonam.

Quare instituta fuit Hora Nonae?

In memoriam illius horae, qua Christus emisit Spiritum, et militum lancea latus ejus aperuit, unde exivit sanguis, et aqua.

Quare instituta fuit Hora Vesperarum?

In memoriam illius horae, qua Christi Corpus de cruce depositum fuit.

Quare instituta fuit Hora Completorii?

In memoriam illius horae, qua Christi Corpus fuit in sepulcro repositum.

Quid etiam Septem Horae Canonicae repraesentant?

Uniuscujusque aetatem demonstrant. Prima est infantia, quae per Matutinas laudes repraesentatur. Secunda pueritia, quae per Primam. Tertia adolescentia, quae per Tertiam. Quarta juventus, quae per Sextam. Quinta virilitas, quae per Nonam. Sexta senectus, quae per Vesperas. Septima senium, sive finis vitae nostrae, quae per Completorium designatur: in hisce ideo aetatibus Creatorem nostrum laudare debemus.

Quare diversimode Horae incipiuntur?

Quia nobis tripliciter peccare contingit, scilicet corde, ore, et opere, ideo tribus diversis modis horae incipiuntur. Unde Matutinum incipit per Domine labia mea aperies. Completorium per Converte nos Deus Salutaris noster: Aliae Horae per Deus in adjutorium meum intende. Quare Domine labia mea dicimus contra peccata oris. Deus in adjutorium contra peccata operis. Converte nos Deus contra peccata cordis. Sed quia ad peccata cordis, et oris est aliquid operis, ideo per omnes diei horas dicimus, Deus in adjutorium.

Unde dicitur Officium?

Dicitur ab efficiendo; unicuique enim convenit suum efficere, et quisquis illa agere debet quae nulli officiant, sed omnibus prosint. Officium autem, seu Breviarium sensu nostro acceptum, est verbum ab Ecclesia Catholica adhibitum, quo nonnullae preces publicae, ac privatae denotantur, quae recitari debent a Clericis Sacris Ordinibus initiatis, a beneficiariis, et a viris religiosis propter regulam in choro, aut privatim Horarum recitationi addictis, ad cultum Deo debitum reddendum, ac sibi, caeterisque dona, et gratias, quibus indigent impetrandas. Ecclesia enim cum Officium instituit, coelesti Jerusalem se assimilare intendit, eamque, quoad fieri potest, imitari; triumphantem scilicet Ecclesiam,

quae non cessat, nec unquam cessabit adorandam Dei majestatem laudibus concelebrare, ut menti perpetuo adhaereant immensum Redemptionis beneficium, et ut grati animi sensus eidem significemus.

CAPUT IV.

De Ritibus, Coerimoniis et Rubricis observandis

—

Quaecumque ab Ecclesia statuta, et scripta sunt, ad bonum nostrum, et ad nostram doctrinam, et ad aliorum aedificationem scripta sunt. Quot autem sunt Clerici qui ritus, coeremonias, et rubricas non modo nunquam legerunt sed etiam eas despicientes nunquam ullam addiscendi curam ostenderunt. Omnes ergo Ecclesiastici Viri prae oculis jugiter habeant quae Domini Jussu in Deuter c. 7. descripta sunt: *Custodi praecepta, et coeremonias, atque judicia, quae ego mando tibi hodie, ut facias: quod si nolueris audire vocem Domini Dei tui, ut custodias, et facias mandata ejus, et coeremonias, quas ego praecipio tibi hodie venient super te omnes maledictiones, et apprehendent te.* Hae maledictiones venerunt super Nadab, Abiu, filios Aaron, eosque apprehenderunt; nam arreptis thuribulis, posuerunt ignem, et incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis praeceptum non erat; egressusque ignis a Domino, devoravit eos, et mortui sunt coram Domino. Haec in figuris contigerunt illis. Quid fiet de Sacerdotibus novae legis? Sancta etiam Ecclesia rituum contemptores arguit, poenisque percutit canonicis: habemus enim in Tridentina Synodo Sess. 7. c. 13. *Si quis dixerit: receptos, et adprobatos Ecclesiae Dei catholicae ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a Ministris pro libito omitti, aut in aliis per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse anathema sit.* Qui legit intelligat, et paveat: praesertim si ex rituum transgressione scandalum, sacrorumque contemptus oriatur.

Videte qua reverentia, et magnificentia Regibus terrae serviatur. *Si pater ego sum, dicit Dominus exercituum, ubi est honor meus? Et si Dominus ego sum, ubi est timor meus? ad vos, o Sacerdotes, qui despicitis nomen*

meum. Malach. 1. Quousque tandem occasionem gentibus praebebimus dicendi: *ubi est Deus eorum?* Deum siquidem nostris ipsismet inhonoramus obsequiis. Maledictus tamen qui facit opus Dei negligenter: Deus non irridetur.

Praeterea fides est argumentum non apparentium. Si ergo nos Sacerdotes non demus operam, ut Dei invisibilia, per rituum, coeremoniarum, et rubricarum observationem intellecta conspiciantur, quomodo fideles docebuntur res divinas? quomodo ad earum amorem, et ad eas digne tractandas fervidi excitabuntur? Eja ergo rubricis, ritibus, coeremoniisque studeamus, easque adeo fideliter custodiamus, ut jota unum, aut unus apex non praetereat a lege. Luceat sanctimonia, et magnificentia in sanctificatione Dei nostri. Sancta sancte tractanda sunt. Omnia honeste, et secundum ordinem in Dei gloriam, et in aedificationem corporis Christi fiant, ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum. Verum satagamus, ut dum ritibus, et rubricis fideliter inhaeremus, adoremus Patrem in spiritu, et veritate.

CAPUT V.

Conclusio

Quid prodest hoc Ecclesiasticae vitae sequi enchiridion, et quodcumque peragere bonum, si id juxta Dei voluntatem, et Christi Jesu beneplacitum minime fiat? Idcirco quam multi erunt, qui post patrata mirabilia, dicent: quare jejunavimus, et non aspexisti? Animas nostras humiliavimus, et nescisti? Eis terribiliter respondebitur: *Nescio vos*, vestris ipsismet obsequiis *inhonorastis me*. Quapropter Domino servientes seriam demus operam, ut spiritu ferventes in illius unione fervoris simus, quo Dominus Jesus exultavit ut gigas ad currendam viam. Si interdum cor nostrum derelinquat nos, spiritus noster deficiat, et dormitare videatur anima nostra prae taedio, his in angustiis oculos conjiciamus in Jesum, qui factus in agonia, victor tamen sui, oblatus est, quia ipse voluit. Cor nostrum hoc confortetur exemplo, et delectemur in Domino, qui hilarem datorem diligit, bonaeque voluntatis scuto muniti, in illius unione passionis hanc ei offeramus angustiam; atque haec orabit, et operabitur pro nobis. Volumus insuper omnem

animi excutere teporem? Cogitemus, nos Regi regum, et Domino dominantium servire; maledictum eum appellari, qui facit opus Dei negligenter; sic intendamus operi, quod hic, et nunc faciendum est, quasi nihil aliud faciendum incumberet; antiquum illud attendamus admonitum: *age quod agis;* omnia tempus habent, sufficit diei malitia sua; sic omne opus nostrum, quasi ultimum esset vitae, peragamus; illam prae oculis S. Bernardi sententiam jugiter habentes: *in omni opere dicat sibi: si modo moriturus esses, faceres istud.*

—

Domine omnia volo facere, ut tibi placeam, tuumque sanctum beneplacitum exequar. Tu es Deus qui mortificas, et vivificas, miserere mei, et resuscita me. Intona super me judicia tua: concute tremore omnia ossa mea, ut semper ad vocem terrificae tuae tubae a gravi somno meo resurgam. Mane semper mecum, Domine, quoniam secus advesperascet; veniet enim nox, in qua operari non potero; mane ergo mecum, o bone Jesu, ne me tenebrae comprehendant. Domine Deus, dives in omnes, qui ex toto corde invocant te, supplex tuum auxilium exoro, ut mihi gratias largiaris, quas tu scis esse mihi necessarias ad majorem tui gloriam, et ad aeternam animae meae, fideliumque salutem: ac praesertim concede, ut anima mea moriatur morte justorum, et cum illis ad gloriam perveniam sempiternam.

—

O clementissima Virgo Maria, quis te non amaret? quis te non honoraret? quis se tibi non commendaret? Cum sis Mater misericordiae tibi commendo animam, et corpus meum: rege ergo, doce, et dirige me. Nostras accipe salutationis voces, et nostros salutationum amores, et clamores, et dignare nos juvare, et aspicere misericorditer de sede magnitudinis tuae, et fac tuis sanctis suffragiis, ut semper sit nobis benignitas illa, quae est fructus Spiritus Sancti, ne cum malignitate, et temeritate, animique tepore bona faciamus opera, sed cum benignitate, veraque devotionis perfectione. Oro te, ut sanctis tuis precibus nobis ignorantibus, et rudibus donare facias ab eodem Sancto Spiritu donum illud boni, et fructiferi consilii, ne unquam in mala progrediamur, aliosque ad ea progredi de-

fectu veri consilii exequendi incitemus, sed imo bona virtutum exercitia peragamus, eaque directo, ac puro coelestis amoris ardore, et affectu exequamur, aliosque exequi in quantum nobis est, faciamus. Remove quaeso a nobis omne impedimentum sacrum nostrum ministerium recte peragendi.

Impetra nobis veram pietatem, innocentiam, et spiritum bonum: impetra sanctam humilitatem, patientiam, et charitatem, continentiam, sobrietatem, et confidentiam, ac necessariam in bonis operibus usque ad obitum nostrum perseverantiam, ut tandem coelesti, et aeterna consolatione perfruamur.

ORATIO

Omnipotens Conditor, et Redemptor, qui ad conversionem gentium, et poenitentium reconciliationem duo magna luminaria Pauli litteras, et Petri lacrymas posuisti, ut gratia tua nec illum persecutio, quam amor legis intulerat, nec istum negatio, quam timor mortis exegerat, faceret alienos. Da quaesumus resipiscere post ignorantiam, flere post culpas, gratiam recuperare post lacrymas. Afferat apud indulgentiam tuam errantium causas, et Paulus, cui non obfuit quod nescivit, et Petrus, cui non impediit, quod negavit. Potest nos misericordia tua sic sanare, ut vulnera illata non pateant; sic restaurare ut elisos nos adversarius noster fuisse non gaudeat; sic integros facere, ut fortiores expertos esse debiles non agnoscat. Valeat Majestas tua absolutis nobis etiam conscientiam delere peccati, si poenam noluerit servare supplicii: concordiam conferre unanimitatis, et pacem tempori largiri praesenti. In te efficere charitate connexos, et a mundi scandalis te propugnante remotos. Amen.

ORATIO

Domine qui dixisti: ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? respice propitius nos Sacerdotes famulos tuos, et corda nostra, omniumque fide-

lium divinae charitatis tuae igne benignus inflamma, ut Te Summum, Verum, et Unicum Bonum in omnibus, et per omnia, et super omnia diligentes in terris, perpetuo diligere olim cum Beatissima Virgine Genitrice tua Maria, et cum omnibus Sanctis, ejusdemque charitatis fructibus perfrui possimus in Coelis. Amen.

INDEX

Primae Partis

INDEX

Secundae Partis

INDEX

Tertiae Partis

